DE PARTU ARTE PRAEMATURO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA.
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE ADIPISCENDIS

DIE XXIII. M. MARTII MDCCCXXIV.
H. L. Q. C.
PALAM EST DEFENSURUS

AUCTOR
CAROLUS AEMILIUS KELSCH
SILESIUS.

OPPONENTIBUS
A. ROSENSTIEL. C. ROTHMUND. F. SCHOLZ.
MEDICINAE DOCTORIBUS.

BEROLINI,
FORMIS DOENCHIANIS.

Die Geburtshülfe hat den schönen Vorzug vor andern Theilen der Heilwissenschaft, daſs die Rettung des Lebens zweier Individuen der wichtige Gegenstand ihrer Ausübung ist.

Carl Wenzel.

VIRO

ILLUSTRI, GENEROSISSIMO, EXPERIENTISSIMO

A. E. DE SIEBOLD,

PHILOS. MED. CHIR. ET ART. OBSTETRIC. DOCTORI, IN UNIVERSITATE LITERAR. BEROLIN. MEDIC. ET ART. OBSTETRIC. PROFESSORI PUBL. ORDIN., INSTITUTI REGII OBSTETRICII CLINICI DIRECTORI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, ORDINIS REG. AQUILAE RUBRAE, ORDINIS HANNOV. GUELPHOR. EQUITI, REG. COLLEGII MEDICO-TECHN. PRIMAR. MEMBRO, ACAD. REG. NATUR. CURIOS. SOCIETAT. MEDIC. AEMULANT. PARIS., PHYSIC. ET AMICOR. ART. OBSTETRIC. GOTTING., JENENS., HANNOV., SCIENTIAR. PHYSIC. ET MEDIC. AD RHENUM INFERIOR., NATUR. CURIOS. SENKENBERG. ETC. SODALI,

PRAECEPTORI ET FAUTORI

SUO PRAE CETERIS COLENDO

NEC MINUS

PATRI OPTIMO, AMATISSIMO, DILECTISSIMO,

T. E. KELSCH,

RERUM SACRARUM ANTISTITI,

SOCIETATIS SILESIAE PATRIAE CULTRICIS SODALI,

SUMMA, QUA PAR EST, PIETATE VENERANDO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

TANQUAM

SUMMAE PIETATIS GRATISSIMIQUE ANIMI TESSERAM

D. D. D.

AUCTOR.

P r o o e m i u m.

Erunt, nisi animus me fallit, qui mirentur, me in dissertatione scribenda id potissimum consilii cepisse, et de partu praematuro quae verissima mihi viderentur, proponerem. Quibus dixisse satis erit, me ex quo tempore instituto obstetricio Regio hujus Universitatis assistentis nomine adjunctus sim, artem obstetriciam magnopere adamasse, quoniam recentiore tempore illam mitissimam esse factam legibusque naturae salutiferis, omni saevitia abjecta, magis magisque paruisse intellexeram.

Quamvis igitur, ut fieri debet, non omnes hujus scientiae doctores ita inter se conveniant; ut quovis certamine sublato cuncti unum idemque sequantur, imo multi sint qui naturam unice spectandam, nec minor numerus, qui arti plus tribuendum velit: tamen hac sententiarum vel opinionum differentia ars ipsa detrimentum haud capit, sed potius veritatis lumine per has tenebras magis magisque exsplendescente praeclare largissimeque augetur.

Idem in partu praematuro adhibendo factum. Quae res quoque cum nondum plane dijudicata sit habenda, tamen multis ut de ea judicarent ingeniique acumine in illa perspicienda uterentur, inserviit. Mihi vero non inepta visa est materia de qua quaedam conscriberem, cum rem ipsam non modo propter vim molimina naturae adjuvantem, sed etiam propter id diligerem, quod ab hac via monstratur, qua perforationem, artis auxilium sane

periculosissimum effugiamus, cum praesertim de auscultatione virorum doctissimorum judicia, propter temporis angustiam nondum satis firma fixaque appareant.

Quaecunque vero dixi multo minus a me dicta sunto, quia nova quaedam proferre voluerim, quam quia ab aliis discere eorumque judiciis uti cupiam.

Ne vero quis credat me hac in re unice praeceptoris summe mihi observandi Ill. de Siebold effata sequi, id monendum erit, virum hunc inventum illud inquirere quidem, nondum vero amplexum esse. Tacere tamen eam rem non sustinui, ne ingratus in eum fuisse videar, cum ille ipse mea culpa in vituperium, nullo modo meritum, quale Osianderi erat, incurrat. Quantum autem illi debeo, et quanta pietate id etiam accipiendum erat, ut suis me experimentis in adumbrando opere uti pateretur!

Vehementer quoque obstrictus sum Cel. Kluge, qui rebus a se exploratis me instruxit easque publici juris me facere concessit. —

§. 1.

Partum arte praematurum 1), künstliche Frühgeburt, Accouchement provoqué vocamus partum arte ante justum graviditatis terminum incitatum, quo infans vivus, salva matre edatur. Ab illo omnis vis, quae ad accelerandum partum adhiberi possit, ut oris uteri dilatatio violenta ope instrumenti, quale inter alios F. B. Osiander 2) nunc beatus invenit, vel infantis extractio ope versionis etc. segregata est ac remota, et his differt a partu violento — Zwangsgeburt — Accouchement forçé. 3)

§. 2.

Jam Aspasia 4), uti etiam monuit Reisinger 5) in pelvis tanta angustia, ut infans vivus justo tempore hanc permeare nequeat, abortum procreandum esse censuit. „Si mulier ad foetum gignendum inepta per negligentiam conceperit, primum usque ad trigesimum diem contraria fiant his, quae supra de cura praegnantibus adhibenda diximus, ita ut vehementissimis motibus uti jubeatur, et ut saliat ac gravissima onera levet. Et ut decoctionibus urinam et menses prolectantibus atque alvum subducentibus assidue utetur, et acrioribus infusis ventrem eluat.“ Praeter haec balnea

---

1) Perbene me scire, persuasum tibi habere velis L. B, partum praematurum significare etiam: infantem ante certum partus terminum maturum, vel potius maturitatis signa praebentem, partui serotino oppositum — et his praemissis ut et ego nomine illo usitato utar benigne quaeso permittas.

cf. Metzger System der ger. Arznei.-W. 5te Aufl. §. 270. Anm.

2) Handbuch der Entbindungskunst. II. B. 2. Abth. Tübingen, 1821. §. 60. S. 127.

3) Sane dolendum utramque saepius commutatam fuisse operationem, cum hac ex causa jam a priori permulti obstetricatores nostram aspernarentur — sunt certe et nunc qui ambo genera distinguere obliti sint, et quod maxime miror. quod etiam Reisinger commemorat, Wenzel etiam Gumprecht, Baudelocque, de Siebold aliosque illis qui nostram operationem vituperarunt et rejecerunt, adnumerat.

4) Aëtii, medici graeci contracta e veteribus medicinae tetrabiblos, hoc est quaternio etc, per Joannem Cornarium med. phyl. latine conscripti. Basileae, 1542. Sermo XVI. Cap. 18. pag. 368.

5) Die künstliche Frühgeburt als ein wichtiges Mittel in der Entbindungskunst und vorzüglich als Beitrag zur Characteristik der englischen Geburtshülfe. Augsburg und Leipzig, 1820. 8vo. p. 12.

tepida, per longum temporis spatium adhibenda, fomentationes, inunctiones abdominis et plura alia commendat. Aëtius his quoque adjecit: „Quod si haec nihil profecerint, ad validiora auxilia pergendum erit, neque tamen temere hoc faciendum est. Omnis enim foetus corruptio periculosa est, praesertim in muliere robusta, uterumque duriorem ac densiorem habente." —

Et Hippocrates, quamquam scripsisset 6): Inter causas externas maxime mechanicae possunt abortum movere, nam cum invalida onus vi sustulerit, aut plagam acceperit, aut saltarit, in periculo est ne abortiat — tamen his concussionibus non timuit uti, cum fidicinae, quae conceperat, ipsum consultanti in terram aliquoties desilire suaserit, quod postquam septies fecerat, ovum cum sonitu delapsum est. 7) Attamen in jurejurando a medicis praestando habet: ὁμοίως δὲ οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω (neque mulieri pessum corrumpendi foetus ergo subjiciam).

Nota sunt pessaria Graecarum et Romanarum, quibus illae abortum ciere studuerunt; Romanae nobiliores imo saepissime abortum sibi concitarunt ne nimius sit infantum numerus 8); et antiquissimis jam temporibus notum erat instrumentum, Embryosphactes (ἔμβρυος foetus, σφάζω eneco) quod nominaverunt, ad foetum enecandum inventum 9).

Reisinger 10) jam ex Plouqueti Commentario medico in processus criminales super homicidio, infanticidio et embryoctonia — adjecit quae iste de embryoctonia affert: Haec vero sunt: „Occisio foetus in utero est aut immediata, aut mediata. Ad immediatas pertinet ejus vulneratio ope instrumenti acuti per orificium uteri, vel per ipsum uterum adacti. Fieri haec potest per omnem graviditatis decursum, maxime et posterioribus mensibus, cum uteri orificium magis hiat, facinus ab infanticidio vix, quin et, si in ipso partu committeretur, ne vix quidem distinguendum, nisi quod vita infantis ante inspirationem stricte demonstrari non posset."

„Possibilitatem hujus rei, quin ut ita dicam Praxin jam Ovidius (Amorum L. II, Eleg. XIV.) noverat, qui ita:

---

6) De morb. mulier. I. 165. (ed. Foesii.)

7) De natura pueri. 16. — C. C. Bauer, de arte obstetricia hippocratica. Tubingae, 1823. 8. p. 26.

8) Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quae steriles facit, atque homines in ventre necandos.
Juvenalis Satyra VI.

9) Tertullianus de anima c. 25. — Onomatologia Med. Pract. Tom. I. p. 2363. — Metzger System etc. §. 272. Anm.

10) l. c. §. 11. Anm.

Vestra quid effoditis subjectis viscera telis,
Et nondum natis dira venena datis?
Haec neque in Armeniis tigres fecere latebris,
Perdere nec foetus ausà leaena suos.
At tenerae faciunt, sed non impune, puellae,
Saepe suos utero quae necat, ipsa perit.

„Miror, doctissimum Hebenstreitium (Anthropol. forens. p. 381.) locum ex Tertulliano huc traxisse,. qui eo pertinere non videtur, cum ait: „„Impia contra foetus vitam machinatio illa est, qua pessariis ex acri medicina confectis, uteri ostium vellicatur. Quale istud instrumentum fuerit, quod apud Tertullianum legitur, certo non liquet. — Ita autem habet Tertullianus (de anima cap. 25.)""

„At quin et in ipso utero adhuc infans trucidatur, necessaria crudelitate, quum in exitu obliquatus denegat partum, matricida, ni moriturus. Itaque et inter arma medicorum et organon est, quo prius patescere secreta coguntur tortili temperamento, cum annulo cultrato, quo intus membra caeduntur, anxio arbitrio, cum hebete unco, quo totum facinus adtrahitur violento puerperio. Est etiam aeneum spiculum, quo jugulatio ipsa dirigitur caeco latrocinio: *εμβρυοσφακτην* appellant de infanticidii officio, utique viventis infantis peremptorium. Hoc et Hippocrates habuit, et Asclepiades, et Erasistratus, et majorum quoque prosector Herophilus, et mitior ipse Soranus, certi, animal esse conceptum, atque ita miserti infelicissimae hujusmodi infantiae, ut prius occidatur, ac viva lanietur."

„Unde manifesto patet, instrumentum illud plane non dolosum fuisse, sed ad artis promptuaria pertinuisse. Ausum hoc vero, ut fere Ovidius jam dixerat, non bene semper succedit; ita Brendel (Eph. Nat. Curios. Cent IV. obs. 167.) ancillam memorat; quae stilo acuto et foetum et uterum ipsum vulnerans exinde periit; similem habet Hebenstreit (l. c.)"

„Tali instrumento usa est impia obstetrix, apud Guidoneum Patinum, Philosophum et Medicum in literis suis gallico idiomate conscriptis Epist. 191. et sqq. Tom. I. ad Dom. Falconet A. 1660 scripta ed. Paris 1692 11) propterea suspendio punita, quae perforato foeminae gravidae per idoneum instrumentum utero, foetum enecaverat, abortum procuratura, ast successu tam infelici, ut correpta convulsionibus mater abinde exspiraverit, ipsa nefanda muliere, se plurimos foetus hac ratione, salvis matribus exstinxisse, confessa. — Et Hallerus (Vorlesungen etc. I. B. p. 148. In Italien,

---

11) cf. Dictionaire des sciences médicales. Tom. II. Paris, 1812. p. 488.

ait, als wo die Bosheit sinnreicher ist, denn nirgend, haben die geilen Dirnen den Gebrauch, wenn sie an sich Zeichen der Empfängniſs wahrnehmen, mit einer Haarnadel, die sie durch den Muttermund in den Uterus zu bringen wissen, den Fötus zu tödten. Die Sache ist an und für sich mehr als möglich, und unter allen Arten des Kindermords ist diese gewiſs für eine der strafbarsten zu halten."

P. Scheel 12) idem de foeminis Norwegicis narrat his verbis: „Subitam velamentorum ruptionem, evacuatione aquarum, uterum ad contractionem excitare notum est. Scimus quoque non rarum esse, praesertim in Italia, meretrices tali modo foetui nefando conatu, abortum concitare. Modum istum abortum excitandi etiam foeminis Norwegicis non penitus ignotum esse casus quem cl. Saxtorph mihi narravit, me docuit."

Foeminas Imbayarenses in provincia Paraguay praegnantes abdomen aliorum manibus eo usque pulsari curare, donec metrorrhagia et hanc abortus sequatur, narrat d'Azara 13).

Ex incitatione digitorum ad os uteri fere semper abortum concitari, Büttner jam attulit 14); fusius vero de foeticidio verba fecerunt: Amman 15), Alberti 16), Büchner 17), Müller 18), Brendel 19) et alii.

Recentioribus nec minus temporibus abortus vi est procreatus, uti inter alios narrat Kilian 20) de puella cujus mense Januario anni 1806 Beyrouxiae in Normandia inveniebatur funus maxime vulneratis genitalibus. Quaestione indagatum est, hominem quendam malum et imperitum (proh dolor, erat medicus!) ei gravidae remedia porrexisse abortiva, frustra vero his adhibitis eam tandem tertio (?) impraegnationis mense violenter ope forcipis partu liberavisse, cui vero operationi succubuerit.

Haec adjicienda habui, quo quisque videret jam omni tempore et medicos et feminas usos fuisse ad abortum ciendum, et velamentorum diruptione, et oris uteri

---

12) Comment. de liquoris amnii asperae arteriae foetuum humanorum natura et usu. Hafniae, 1799. 8. S. 74. F. B. Osiander's Handbuch etc. II. B. 2 Abth. S. 475.

13) Don Felix d'Azara, voyages dans l'Amérique méridionale depuis 1782 jusqu'en 1801. à Paris an XII. I. 2. Chap. 10. pag. 100.

14) Vom Kindermord. §. 94.

15) Pr. vuln. let. Dec. V. Histor. V.

16) De abortus noxia et nefanda promotione, in ejusd. Systema jurisprudentiae medicae. Tom. II.

17) An dantur remedia partum promoventia? Hal. 1746.

18) Entwurf der gerichtlichen Arzneiwissenschaft nach juristischen und medicinischen Grundsätzen. Frankfurt a. M., 1796 — 1800. 8vo. I. Th. cap. 16.

19) De abortu ab inserto in uterum acuto stylo, eoque embryonem trajecto, producto, in: Ephemer. Acad. N. C. Cent. 3 et 4. p. 377.

20) Georgia. 1806. No. 21. S. 167.

incitatione, et remediis mechanicis in universo, quae primum mihi fuisse videtur ad inveniendem partum arte praematurum incitamentum.

§. 3.

Secundo vero his causis quasi remotis adnumerandum esse puto illud propositum, jam (quod e loco de Aspasia supra commemorato elucet) antiquissimum, ut ob pelvis angustiam, quae ne mater in partu moriatur, cum iste absolvi nequeat, timorem injicit, vel gastrohysterotomiam requirat, incitetur abortus 21), consilium cui et recentiorum aliqui annuerunt, inter quos Burns 22) et Mende 23) sunt denominandi; de quo Cooper etiam, cum ad gastrohysterotomiam adesset, quam Thompson, chirurgus quidam instituit, qua finita mater haemorrhagia interna, infans vero ob cerebri vitium moreretur, (pelvis vero conjugata vix erat longitudinis digiti transversi) interrogavit: Nonne ratio et conscientia permittant, cum praevideri possit, gravidam via naturali partum edere non posse, arte procreare abortum? 24) Favent huic proposito etiam John Barlow 25) et Hull 26), quod Weidmann jam prius rejecit 27).

§. 4.

Tertio illa operationis methodus, quae partus violentus, Accouchement forçé, Zwangsgeburt, künstliche Frühentbindung nominatur, praesertim nostrae operationi medicorum mentem adduxisse videtur. Jaques Guillemeau 28) primus esse videtur, qui in metrorrhagiis partus commendaret accelerationem, oris uteri dilatatione, velamentorum diruptione et foetus extractione. Huic Mauriceau

---

21) Abortus mihi est cum viris Ill. Mauriceau, de Siebold, Carus, de Froriep partus foetus non vitalis (partus immaturus, intempestivus, enfant non viable) ante hebdomadem XXVIII. editus.

22) Grundsätze der Geburtshülfe, a. d. Englischen von Dr. E. H. C. Kölpin. Stettin, 1820. S. 513.

23) Beiträge zur Prüfung und Aufhellung ärztlicher Meinungen für Heilkünstler. Greifswald, 1802. 1. Band. S. 64.

24) Medical observ. and Inquiries by a Society of Physicians in London. Vol. IV. Lond., 1771. Richter, chirurg. Bibbliothek. 1. B. 4. St. S. 38. Götting., 1771.

25) Medical Facts and Observations. Vol. III. 1800. S. 187 u. 192.

26) Observations on Mr. Simmons detection etc. with a defence of the cesarean operation etc. Manchester, 1799. p. 455.

27) Comparatio inter sectionem caesaream et dissectionem cartilaginis et ligamentorum pubis in partu ob pelvis angustiam impossibili suscipiendas. Wirceburgi, 1779. — Positiones ex universa medicina No. LV. „An in pelvis tali angustia, quae partum caesareum poscit, abortus ut caesarei partus periculum et dolor evitetur, procurandus est? Non.“ —

28) De la grossesse et de l'accouchement des femmes etc. Paris, 1598.

29) assensit, et inde ex eo tempore saepe eodem est adhibita, plura (etiam quoad leges publicas et res forenses) de ea scripta sunt. Puzos 30) vero hanc methodum eo mutavit ut lente, sensim sensimque os uteri dilataret et tunicarum ovi perforatione dolores ad partum incitaret.

Praeterea Leroux 31), Deleurye 32), Baudelocque 33) et plurimi recentioris temporis scriptores rei obstetriciae de hac operatione verba fecerunt, ita ut eam in omnibus artis obstetriciae compendiis commemoratam invenias.

§. 5.

Haec vero omnia, additis iis, perforatione instituta infantem semper mortuum extrahi, matremque saepe laedi, sectione caesarea autem plurimas perire parturientes, non semper salvo infante, medicorum animos ad hanc agendi rationem compulisse mihi saltem videtur. De remedio cogitarunt, quo multis in casibus gastrohysterotomia, semper vero capitis infantis perforatio evitaretur, quod matri non damnum vel periculum afferret, infantem vero vivum procrearet. His adnumerare adhuc velis infantem octavo mense 34) natum saepius adolescere, quamquam hoc negavit Osiander, partum vero praematurum frequenter in iis occurrere foeminis, quarum pelvis sit coarctata, praesertim justo eminentiori promontorio.

Anno 1756 jam Londini principes medicorum convenerunt, hanc rem pertractaturi, praecipue an admittenda sit haec operatio, nec ne? Omnes assenserunt, ac primus Macaulay 35) partum praematurum felici successu arte incitavit. William Cooper simile quid anno 1766 interrogavit his verbis: „Before I conclude, allow me to propose the following question, viz. In such cases where it is certainly known

---

29) Traité des maladies des femmes grosses, et de celles qui sont accouchées etc. etc. VIme edition. à Paris, 1721. p. 334.

30) Traité des accouchemens. Paris, 1759. 4. Chap. 16. art. 1. p. 168. Memoires sur les pertes de sang etc. pag. 323.

31) Beobachtungen über die Blutflüsse der Wöchnerinnen, und über die Mittel, sie zu stillen, von Leroux. A. d. Frz. Königsberg, 1784. §. 151. S. 106.

32) Abhandlung über die Geburten etc. A, d. Frz. von I. G. Flemming. Breslau, 1778. §. 563. 487. 513. u. 806.

33) Anleitung zur Entbindungskunst, nach der zweiten franz. Ausgabe übers. mit Anmerkungen von Ph. Fr. Meckel. Leipzig, 1791. I. Bd. p. 544. seq. II. Bd. p. 319. „Untersuchung der frühern Entbindung, die man in der Absicht vorgeschlagen hat, um die Mutter bei einem fehlerhaft gebildeten Becken des Kaiserschnitts zu überheben."

34) Annotandum hic me semper menses lunares intelligi velle, cum de graviditatis mensibus verba faciam.

35) Denman, Introduction to the Practice of Midwifery. Vol. II. p. 173.

36) A Case of Cesarean Section by William Cooper communicated by Dr. Hunter. Medical observations and inquiries. Lond., 1772. Vol. IV. p. 261.
Salzburg. medic. chirur. Zeitung. 1819. No. 22.

that a mature child cannot possibly be delivered in the ordinary way alive, would it not be consistent with reason and conscience; for the preservation of the mother, as soon, as it conveniently can be done, by artificial means to attempt to produce an abortion."

§. 6.

Teste Süe 37) jam Petit ob pelvis angustiam non solum partum praematurum instituere consuluit, sed etiam ipse instituit. Roussel de Vauzelme in editione secunda libri quem de Synchondrotomia conscripsit 38), et quidem in sect. III., his verbis ut circa septimum vel octavum mensem, si pelvis angustia infantis maturi et vivi partum prohibet, ut partum arte maturandum, suasit: „Quae si antea praevideri queant, septimo aut octavo mense promoveri posse partum opinamur, — — — — his omnibus rite perpensis autor fuit clar. M. le Vacher de la Feutrie D. M. P. ut quibusdam in casibus haecce pro caesarea admitteretur operatio, ut nempe pro majori vel minori ossium pelvis deformitate, septimo scilicet vel octavo gestationis mense, per artem sollicitaretur partus etc." Qua de re etiam Destremeau fusius verba fecit 39).

§. 7.

Apud nostrates Weidmann primo ad evitandam Synchondrotomiam, perforationem et sectionem s. d. caesaream de promovendo partu ante tempus constitutum, haec habet: 40) „Cum vero Synchondrotomiam periculo et incertitudine non vacare constet, anne in tali pelvis angustia consultius esset, circa septimi verbi gratia mensis graviditatis initium os uteri successive dilatare foetumque vi educere? Vero mihi saltem simile videtur, in longe minus periculum sic matrem adigi, foetumque capite tum valde adhuc parvo, vivum per pelvis illas angustias educi posse et conservari."

Tamen uti mihi saltem videtur, his tantum proposuit partum violentum (Accouchement forcé) etiam ob pelvis angustiam in usum esse vocandum, nullo modo vero de partu arte praematuro (Accouchement provoqué) in his est locutus. Probatur haec opinio verbo: vi, quo usus est, et recte Reisinger 41) eadem fere monuit contra C. Wenzel, qui in libro suo 42) Weid-

---

37) Essais historiques, litéraires et critiques sur l'art des Accouchemens etc. Paris, 1779. A. d. Frz. Süe des Jüngern gelehrte und kritische Versuche einer Geschichte der Geburtshülfe, oder etc. 2 Bd. I. Bd. Altenburg, 1786. p. 284.

38) Ergo sectio symphyseos ossium pubis admittenda. Paris, 1779. 8.

39) Süe, l. c. I. p. 285.

40) Comparatio inter sectionem caesaream etc. p. 64.

41) l. c. p. 23. Anm.

42) Allgemeine geburtshülfliche Betrachtungen, und über die künstliche Frühgeburt. Mainz, 1818. 4. p. 131.

mann inventorem hujus operationis nominaverat. Partus arte praematurus, sensu, quo illo verbo utor, omnem vim, ac omnem artis violentiam respuit et aſpernatur. Imitatio esse debet processus naturalis, quem ars debet incitare non persequi; et ipse, quod Wenzel 43) testatur posteriori tempore propositum, ut septimo mense os uteri sensim sensimque dilatetur, foetus vero vi educatur irritum et periculosum habuit ac reclamavit.

Praeterea haec Weidmann de partu praemature ciendo habet: „Um bei diesen (Beckeneingang = $6\frac{1}{2}$ Centimeter = 2″ 5‴) und selbst etwas geringern Graden der Engheit des Beckens den Durchgang des Kindes möglich zu machen, habe ich vorlängst schon vorgeschlagen, eine frühzeitige Geburt zu bewirken. Nur die Furcht des Miſsbrauchs in andern, hierher gar nicht gehörigen Fällen, beschränkt mich auf die kurze Anzeige dieses Vorschlags, obwohlen mir Beispiele glücklicher Versuche der Art mit Verlässigkeit bekannt sind. 44)“ — et porro: „Von der Operation der frühzeitigen Ensbindung habe ich oben so viel erwähnt, als ich nöthig glaubte, um sie in das Gedächtniſs redlicher Geburtshelfer zurückzurufen, ohne mich des möglichen Miſsbrauchs wegen, in die zergliederte Beschreibung der Art sie zu macheu, einzulassen.“ 45) Alio loco haec profert 46):“ Ego iniqui facinoris metu in tantis angustiis sectionem caesaream proponere non sino; si recusent, ars in culpa non est; quis enim in invitis susceperit? Si obtemperent, saltem utramque vitam servandi spes omnis praecisa non est; eoque saltem vices et conscientiam percussoris obstetricans non obit. Futurum forte tempus consilium: maturandi in septimo graviditatis mense partum initurum est. Jam ex aliena praxi mihi cognitum est, ter successum habuisse, ita ut matres salvae evaserint, foetusque etiamnunc vivant, uno excepto, qui decimo octavo a partu die mortuus est. Verum res ob pelvis angustiam peracta non fuit, sed alias ob causas, quas sub sigillo datas, celandas habeo.“ Weidmann praesente et suadente partus praematurus a Dr. Kraus die ducentesimo quadragesimo quinto graviditatis anno 1813 in foemina rhachitica, cujus pelvis octo vix centumetros (tres fere pollices) aequabat, ter abortum passa, semel forcipe ab infante mortuo liberata, est institutus optimo quidem cum successu. Weidmann 47) et Kraus 48)

---

43) l. c. p. 133.

44) Entwurf der Geburtshülfe für seine Vorlesungen von I. P. Weidmann. Mainz, 1808. 8. §. 726. p. 250.

45) eod. l. §. 744. p. 255.

46) I. P. Weidmann, M. D. de forcipe obstetricio, in quaestionem: an usus ejus in genere utilis sit, an nocivus? Responsio revisa cum figuris et duabus annotationibus etiam revisis. Maguntiaci, 1813. 4. p. 55.

47) De forcipe obstetricio. p. 67.

48) Specimen inaugurale positiones quasdam medicas exhibens. Moguntiae, 1815. Positio 29. 30. 31. 32.

ipsi partum descripserunt. Horis viginti septem post ovi paracentesin praeterlapsis infans vivus editus est.

§. 8.

Sed et Paulus Scheel 49), ut Osiander monet, quamquam Anglorum et Weidmanni proposita ignorarit, non solum abortum incitandum ob matris vitam servandam, sed etiam partum praematurum procurandum his proposuit verbis: „Quod si idem remedium fine magis honesta et salutari in casu supra dicto ad servandam matris vitam adhiberetur? Pelves tam arctae, ut infans non nisi sectione caesarea vel excerebratione educi possit, interdum occurrunt, praesertim in foeminis rhachiticis. Quid? quod pelves adeo coarctatas esse posse, ut ne excerebrationis quidem ope infans educi queat, ideoque necessario ad sectionem caesaream confugiendum sit, nemo certe artis obstetriciae peritus negabit. Periculosissimam autem sectionem caesaream esse, et quandoque matri cachecticae debili exitium certum minari nemo dubitabit. Nec excerebratio adeo periculo caret, ut certi esse possimus, vitam matris per eam institutam servari posse. In tali casu unicum refugium nobis praebet abortus, qui dicto modo, conjunctim cum apta medicaminum pellentium administratione excitandus erit. Casus, in quibus abortus sectioni caesareae praeferendus sit, hoc loco adeo exacte determinare non possum; pertinet hoc quondoque quodammodo ad casuisticam obstetriciam. Pelvi tam ampla, ut fetum adhuc transire sinat, ubi jam vitalis esse incipit, abortus ad eum usque terminum deferendus est.“ —

His ex allatis patet Anglos primos hac de re verba fecisse, et hanc instituisse operationem. Ibi etiam perpluries est repetita, rarius apud nostrates; horum vero modo casus, vel etiam quae de ea operatione scripserunt fusius hic enarrabo, cum et istos casus nusquam inveniam collectos omnes, et Reisinger jam l. c. Anglorum res integre adtulerit, quae brevibus tantum sunt commemorandae.

§. 9.

C. Wenzel 50) anno 1804 primum partum arte praematurum excitavit in foemina, quae ob pelvis angustiam jamjam quinquies ab infantibus mortuis liberata erat. Setpuaginta duas horas post velamentorum diruptionem partus editus est vivus, quem C. Wenzel quatuordecim annos post, sanum se ipse vidisse narrat. — Iterum 1808

49) l. c. — et: Osiander's Handbuch der Entbindungskunst etc. II. 2. p. 475. §. 244. Anm. — Antea S. jam monuerat: „Sectione caesarea vel dissectione foetus maturi, partu instante ob pelvis angustiam necessaria, matre autem ob debilitatem vel cachexiam neutram operationem admittente, abortus, liquoris amnii detractione tempestive excitatus, forte salutifer.“ — etc. cf. p. 12.

50) l. c. p. 149.

operationem, uti in priori casu, hebdomade gestationis trigesima secunda in foemina instituit, quae ter infantes mortuos ediderat. Horas quinquaginta quatuor post tunicarum dilacerationem, puer est natus, qui per undeviginti menses vixit. — Tertio operatione usus est in foemina rhachitica, quae anno 1816 ab alio medico obstetricio perforationis ope liberata erat. Instituit illam octavo mense, et horas quadraginta octo post transfixa velamenta puella viva, sana enata est. In omnibus his casibus puerperium felicissime est peractum. — Probat hanc operationem, quam maximis laudibus ornat, cum de ea dicit: „Ueberzeugt von der Ausführbarkeit und dem Nutzen dieser Operation — — — und weil sie dem schönen Zwecke der geburtshülflichen Kunst auf das Vollkommenste entspricht, das Leben zweier Individuen zu retten — —.“ 51)

Mai 52), inclytus medicus, non solum in pelvi coarctata et in infantibus in utero mortuis partum arte promovendum suasit, sed etiam jurejurando obstetricantium hujus instituendi pollicitationem expetivit, his verbis: „Ihr sollt mit einem Eid versprechen, daſs ihr die in der Schwangerschaft durch innere oder äuſsere Ursachen sicher verstorbenen Siebenmonatkinder, oder auch reifere Leibesfrucht bei nicht erscheinen wollenden Geburtswehen nicht länger mit Lebensgefahr der Schwangern in der Gebärmutter liegen lassen, sondern durch eine Zwangsgeburt die Frau entbinden wollet etc.“ — et alio loco: „Ihr sollt in miſsgestalteten, zu engen Geburtsknochen, wenn schon mehrere reife Kinder nur durch Verstümmelung geboren werden konnten, bei einer neuen Schwangerschaft eine Siebenmonatgeburt durch künstliches frühzeitiges Sprengen der Wasserblase befördern? — In programmate suo vero his partum septimestrem procreare suadet in pelvi angusta: „Deplorando sane medicae politiae neglectu matrimonio subinde nectuntur sponsae, quae non solum gibbositate, sed et manifesta ossium pelvis difformitate foetui nascituro stragem minantur. Minor etenim muliebris pelvis diametros vel ossis sacri, vel crurum ossis pubis vitio adeo subinde a naturali capacitate deflectit, ut vix hemisphaerium, multo minus integrum infantilis capitis volumen superiorem pelvis aperturam, luctantibus utcunque partus doloribus, penetrare possit. Oritur exinde non raro tristis satis necessitas, ut plures successive partus maturi capitis volumine per terebram imminuto, excludantur; ut saltem matris, foetus sacrificio, redimatur vita. Quid in simili casu remedii obstetricatori vel sagacissimo remanet, ut saltem probabili tentamine foetum vivum tandem excludat genitrix prolium vitam anhelans? Nonne detecto pelvis angustae nimis vitio, praegressis

---

51) l. c. p. 148.

52) Stolpertus der Polizei-Arzt. 1802. — Stolpertus ein junger Geburtshelfer. 1807. — De necessitate partus quandoque praemature vel solo manuum, vel et instrumentorum adjutorio promovendi. 1799.

jamjam quibusdam foetucidiis, arte procurandus foret partus praematurus? Nonne elapso probabiliter septimo graviditatis mense, relaxatis per balnea tepida partibus genitalibus externis, manu pelvi immissa, orificium uteri satis jam molle digitis dilatare, et velamentis per cultellum elasticum theca tectum, tantisper incurvatum perruptis, foetum septimestrem vel versione expellere, vel si caput orificio uteri jam incumbat, partum naturae relinquere opporteret? Certe solum hoc arti, uti opinor, remanet in vitiata pelvi remedium, terebrationi, nec non caesareae sectioni ex omni parte praeferendum. Nec mihi objiciat criterium, partus septimestres utplurimum primis a partu diebus extingui; nam melius est anceps, quam nullum vitae salvandae remedium. Neque adeo rarae sunt observationes, quae foetus septimestres, caeteroquin sanos, adolevisse, viguisseque testantur."

§. 10.

Inter nostrates primus de Froriep in sexta libri sui de arte obstetricia conscripti editione 53), hanc operationem instituendam recepit, Anglos solos commemorans; Weidmanni vero de eo scripta silentio praeteriit. — Ita etiam Ill. de Siebold in tertia compendii sui editione 54) hanc pertractavit, at eum nec probavit, nec rejecit; quamquam utrumque de eo nuntiatum sit. Illi, qui eum annuere huic narrant operationi, ideo putant favisse eidem quod explorandi causa adhibitam vellet, eamque instituisset; ceteri vero aliter senserunt, quod in priori libri sui editione non de partu arte praematuro, sed de partu violento (Accouchement forçé) verba fecit, quam ob rem inter hujus vituperatores illum posuerunt. Usque adhuc hanc operationem quater instituit, tamen nondum utrum ei faveat, an sit rejicienda declaravit. — Foemina in qua primum mense Junio 1819 partum per ovi paracentesin elicuerat 55), gibbosa, rhachitica prima vice gemellos sexto ediderat mense. Iterum gravida auxilium in instituto Regio obstetricio, petiit. Pelvis obliqua inveniebatur; ope instrumenti quod ad pelvim emetiendam Baudelocque invenit (Compas d'épaisseur) lineam ab altera ossis ilium crista ad alteram pollices decem, pelvis minoris conjugatam in apertura superiori pollices tres, diagonalem tres digitos cum lineis duobus; illam aperturae mediae duos pollices cum quadrantibus tribus aequare, est indagatum. Pelvis exitus spatiosus, ossa pubis ad nornam arcuata esse videbantur; promontorium

---

53) Theoretisch-praktisches Handbuch der Geburtshülfe etc. 6te vermehrte und verbesserte Auflage. Weimar, 1818. § 516. p. 473.

54) Lehrbuch der theoretisch-praktischen Entbindungskunde, zu seinen Vorlesungen, für Aerzte, Wundärzte und Geburtshelfer, entworfen etc. 2r Bd. 3e Aufl. Nürnberg, 1821. §. 569. p. 424.

55) cf. Harras, de partu per paracentesin ovi tempestive eliciendo, Diss. Berolini, 1819. 8. p. 22. v. Siebold's Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. III. Bd. p. 407.

ad sinistrum magis latus positum, digito facile contingi potuit. Ceterum infantis situs normalis, caput pelvis introitu proximum esse videbatur; quo ad tempus vero graviditis, sub octavi mensis finem versata est. Perforatis ovi velamentis, aquae destillant librae quatuor cum unciis sex. Altera jam die dolores tensivi in abdomine orti sunt; triginta tres vero horas post paracentesin frigus vehemens eam est aggressum, et ex hoc tempore foetus motus antea jam debiliores siluerunt. Ad caput primo cubitus, postea vola manus percipi potuit, tamen solo capite praevio horis post velamentorum diruptionem quadraginta sex praeterlapsis, puellula mortua editur. Secundinae rite pariuntur, metrorhagia nulla advenit. Puerperio felicissime peracto, die post partum XIVmo sana ex instituto dimissa est. — Nullo morbo valetudo optima erat turbata hoc ex tempore, et sexta jam a partu septimana rediit mensium fluxus typo, qualitate et quantitate solitis. Ad nos mense Januario 1823 rediit impraegnata. Nihil in corporis conditione mutatum invenimus, eodem modo uti prius singula pelvis ossa distant. Exploratio obstetricia eam in initio noni mensis graviditatis esse indicavit, et ita etiam edixit; foetus situm normalem esse e forma abdominis conclusimus, quamquam pars praevia non certitudine constitui potuerit. Spongia pressa, gummate arabico praeparata, die XIV. Ianuarii hora IXna matutina ope fistulae pro injectionibus in vaginam in os uteri introducitur, lineae circiter ambitu, qua, quovis die bis alia mutata, os uteri clausum ita est apertum ut digito ad velamenta usque pervenire potuisses die XVIII. m. Januarii. Portio vaginalis uteri immutata, longitudine pollicis dimidii, remanserat. Hoc perforantur die, cum graviditatis tempus cunctare non concederet, ovi tunicae hora matutina decima. Profluxerunt aquae, quae collectae expleverunt mensuram Berolinensem cum dimidia. Porrigebantur ei hora dimidia praeterlapsa Tincturae opii simplicis gtt. X. quo, si fieri possit, horror ceterum saepius animadversus, evitetur. Pars praevia ad os ilium sinistrum percipiebatur; externe vero ad umbilicum pars rotunda, globosa sentiri potuit, quam caput esse censuimus. Turserunt genitalia, muci secreti magna copia humefacta. Dolores trahentes interdum in regione sacra et in abdomine animadvertebat gravida, et horis XXIV post paracentesin os uteri ad pollicis dimidium erat extensum; partem praeviam clunes esse facile dijudicari potuit; infantis motus nec a gravida, nec manu abdomini imposita percipi potuerunt. Advenit eodem tempore levis horripilatio, a regione sacra ortum ducens, quae vero mox pulvere ex opii puri gr.dimid. kali nitrici gr.quinque et sacchari Scrupulo cum infuso tepido florum chamomillae vulg. ei porrecto, debellata est. Accesserunt nunc ad partum dolores; ad pollicem hora prima pomeridiana os uteri fuit dilatatum, et horrore hora quarta valido et gravissimo oborto, nullis mitigando remediis, puellula mortua, epidermide jam soluta, clunibus praeviis edita est. Partus periodus

quinta nullis turbata incessit. Sed matris de die in diem magis morbus, praesertim pectoris passio, crescit, nec prohiberi potuit, remediis certe congruis adhibitis, ne moriatur die septima post partum. Sectione cadaveris pulmones, quorum pleura pluribus in locis cohaerebat, tuberculis invenimus tectos, coloris non soliti, sed e rubro subfusci, dificile describendi. Dexter, major, consistentiae erat normalis, sinister vero magis compressus scoliosi, et inde minor, structuram illi hepatis similem praebuit. Larynx, arteria aspera, bronchi et utriusque pulmonis bronchia liquido mucoso, puri non dissimilis impleta erant. Cor majus quam esse solet videbatur, uterque ventriculus nec non arteria aorta ascendens ejusque arcus coagulis sanguinis nigri erant impleta. Ad hepatis lobulum dextrum plura exsudationis vestigia, ligamentis tendinosis non dissimilia inveniebantur. In pelvis cavo uterus, ceterum sanus, medium tenebat, ob pelvis enim angustiam vesica urinaria ad dextrum, intestinum rectum ad sinistrum latus pressa erant. Uterus sanus reperiebatur, vestigia membranae deciduae nondum dissolutae et excretae adhuc aderant. Pelvis dimensiones ex omni parte fere eaedem erant, quales antea pelvimeter indicaverat. — Gravida corpore imbecillo et deformi mense Decembre anni 1820 aedes parturientibus sacras adiit. Deformitatis causa investigari non potuit, cum omnem causam mechanicam denegarit, nec unquam morbo se vexatam fuisse declararit. Pelvis vero obliquae conjugatam tres non superare digitos jam exploratione et manuali et instrumentali est constitutum, nec non eam in octavo mense graviditatis versari. Caput praevium esse, vel aperturae superiori proximum, nihil erat quod negaverit; gravida ex omni parte bene valuit. In illa primum ad dilatationem oris uteri spongia pressa experimentum factum est. Tres per dies adhibebatur; dolores illis ad partum similes apparuere quidem, mox autem evanuerunt; praeterea ardor etiam dolorificus in ore uteri, totidem dilatato ut digitus intrare potuerit, advenit. Tunicis perforatis die XXma Decembris hora praeterlapsa dimidia horripilatio levis eam accedit, noctu iterum repetita. Triginta circiter horas post paracentesin ovi partus forcipis ope est absolutus, cum genitalia angustissima exitum inhiberent. Infans asphycticus nascitur, ad vitam quidem revocatus, sed hora nona post partum mortuus est. Mater in puerperio bene valuit, exceptis genitalium tumore et synocho lacteo gravioris indolis facillime vero sanatis, et die XVIta post partum enixum sana ex instituto est dimissa. 56) — Quarti partus praematuri, ab Ill. de Siebold instituti, infra adhuc sum allaturus historiam.

Ritgen, Giessensis Professor cel. non solum nostra de operatione verba fecit,

---

56) cf. E. v. Siebold's Journal für Geburtshülfe u. s. w. IV. B. 2s Stück.

sed et instrumentum novum ad eam instituendam invenire studuit 57) ac ipse eam suscepit. 58) Niemeyer, Halensem Professorem cl. partum arte praematurum concitasse, narrat Preller. 59)

§. 11.

Cel. Kluge, Professor Berolinensis, cujus sub auspiciis institutum parturientibus sacrum, caritatis nosocomio adnexum floret, ut, benignus et liberalis mecum communicavit, duodecies partum arte praematurum incitavit, cui indicio semper erat pelvis coarctatio. Uno casu pelvis ex omni parte erat angusta; alio conjugata pollices $2\frac{1}{2}$, ter $2\frac{3}{4}$, semel 3, quater $3\frac{1}{4}$, semel $3\frac{1}{2}$, semel $3\frac{3}{4}$ aequavit. Gravidarum novem primiparae erant; duae antea jam semel forcipis ope erant liberatae, in una octo inter partus sex artis auxilio soluti erant. Semel septimo, bis octavo, ter nono, sexies decimo in graviditatis mense operatio est instituta. Partus, ab initio dolorum ad partum absolutum usque, quatuor horas ad triginta unam duraverant; primi accesserunt dolores 6, 8, 10, 32 et 72 horas post ovi velamenta dirupta; 13 horas cum digito tantum ab interna cervicis uteri pariete tunicae ovi essent dissolutae; spongia cerata ingesta semel 5, semel 20, bis 27, semel 57 horis praeterlapsis, semel vigesimo die post spongiam in uterum inductam. Una tantum obiit puerpera duo fere menses post partum editum hydrothorace affecta, quo illa, maxime gibbosa jam ab initio graviditatis vexata fuerat. Horripilationes vel motus febriles nulla in parturienti animadvertebantur; in omnibus partus periodus quinta optime solito modo cessit, nunquam metrorrhagia comitata erat, nec puerperium morbis turbatum. — Infantum undecim vivi sunt editi, unus clunibus praeviis; omnibus in aliis caput praevia erat pars. Artis auxilium semel tantum exposcebatur, et excerebratio quidem, basis cranii comminutio et trunci extractio unco obtuso, pelvis conjugata $2\frac{3}{4}''$ aequavit, inclinatio erat 46°, partus prima septimana mensis decimi institutus. Septem infantes vivi et validi ex instituto sunt dimissi; unus, octimestris hora post partum mortuus est corporis imbecillitate et infirmitate; alter, septimestris, e matre illa hydropica et distorsa, quae ei mammas praebere non potuit, die post partum decimo obiit; tertius, cujus mater coeca erat, et ac lactandum non apta, atrophia die vigesimo a partu vitam posuit; quartus sedecimo die corporis infirmitate vita decessit cum mater mammas ei praebere non potuisset.

---

57) Die Anzeigen der mechanischen Hülfen bei Entbindungen etc., von F. A Ritgen. Mit 1 Kupfer. Giessen, 1820. Zweite Abtheilung. IV. p. 435.

58) A Preller, Diss. de partu praematuro arte effecto etc. Halae, 1822. 8. p. 38. — cf. Jahrbücher der Entbindungsanstalt zu Giessen, von Ritgen. Giessen 1820.

59) l. c. p. 38.

Carus 60) hujus operationis jam in compendio suo mentionem fecit, eamque probavit: pelvi angusta pollicibus $2\frac{3}{4}$ non minori, $3\frac{1}{2}$ digitos non superante, nec non in metrorrhagiis, convulsionibus, aliisque sub conditionibus matri et infanti periculosis.

d'Outrepont 61) anno 1821 in foemina quae bis sine artis ope infantes maturos, uti edixit, ossibus cranii fractis, pepererat, tertio vero, quarto et quinto perforatione liberata erat partum instituit praematurum. Pelvis conjugata tres nondum aequabat pollices. Septimana trigesima quinta gestationis, cum sine successu periculum factum esset frictionibus abdominis, velamenta perforavit; partus sub horrore ingente clunibus praeviis hora trigesima post aquas effusas successit, infans vero mortuus editus est. Puerperium felicissime decurrit, ac die duodecimo post partum editum sana ex instituto obstetricio Wirceburgensi est dimissa.

Schilling 62), Bambergensis anno 1819 in gravida rhachitica partu arte praematuro usus est. Duodecim annos ante illa jam septimo gestationis mense infantem vivum ediderat. Hujus graviditatis septimana trigesima elapsa tunicae perforantur ope instrumenti a Wenzel invento. Conjugata pollices $2\frac{3}{4}$ mensur. paris. non superavit Horas viginti quatuor post aquarum defluxum infans est editus impressa ossis parietalis magna parte; horis sex praeterlapsis jam mortuus est, puerpera vero sana ex instituto decessit.

§. 12.

Inter Anglos hos qui partum praematurum incitarunt enumerat Reisinger:

Macaulay 63) felici successu, primus, uti jam supra est commemoratum, eum instituit.

Kelly 64) in eodem muliere ter eum suscepit.

Denman 65) perpluries (teste Reisinger in tabula indice: sedecies); et fusius eorum unus publici factus est juris 66).

John Barlow octodecies; sexies, quater et ter iisdem in foeminis 67).

---

60) Lehrbuch der Gynäkologie, oder systematische Darstellung etc. Zweiter Theil. Leipzig, 1820. §. 1164 u. 5. — §. 1425.

61) Abhandlungen und Beiträge geburtshülflichen Inhalts, von J. d'O. Erster Theil. Bamberg und Würzburg, 1822. p. 1.

62) d'Outrepont's Abhandlungen etc. 1 Th. S. 208.

63) Denman, Introduction to the Practice of Midwifery. Vol. II. p. 173. London, 1795. 2 edit.

64) eod. l.

65) eod. l.

66) Medical and physical Journal. Vol. III. Lond., 1800.

67) Medical facts and observations. Vol. VIII. Lond., 1800.
The London medical review and Magazine. Vol. III. 1800. p. 378.

Dr. Merriman decies; infantes quatuor vivi sunt editi 68).

Headly semel; partu agripparum infans vivus natus est 69).

Hardman semel eum instituit, infans mortuus enixus est 70).

White semel 71).

James Barlow semel; infans ope vectis obstetricii eductus, vivus erat 72).

Dr. Samuel Merriman jun. sexies eum instituit, et duos adhuc retulit de aliis casus 73).

John Marshall quater; infantum unus vivus editus; bis situs infantis erat transversus 74).

Dr. H. G. Clough partus arte praematuri historiam enarrat, in quo, cum ob brachia ambo praevia versio instituta esset, mater hysterocele periit 75).

C. W. Bartley felici successu semel 76).

James Gibbon casum narrat, in quo vero infans natibus praevius periit 77).

Praeterea hujus operationis invenies mentionem factam apud: John Hull 78); Clarke (in The medical and phys. Journ. Vol. III. Lond. 1800. p. 46); — Allgemeine medicinische Annalen des Jahres 1800. Altenburg. p. 981. ubi quae John Barlow, J. Leighton et S. Merriman, de partu arte praematuro attulerunt brevibus sunt relata; The London medical Repository etc. etc. Vol. III. April 1815, May 1815. et Vol. VII. May 1817. sub titulo: Ωδινοβοητος annotationes de partu praematuro habet; Joseph Hopkins (Accoucheurs Vade mecum. 4th edit. Lond., 1806. p. 114); The London Practice of Midwifery, 1816. p. 190., inter alia legitimam esse operationem illam constituit; John Burns, (The principles of Midwifery etc. London. 4th edit. 1817. p. 366. — J. B. Grundsätze der Geburtshülfe, a. d. Engl. übersetzt von Dr. E. H. C. Kölpin. Stettin, 1820. p. 512.), non solum huic operationi sed et

---

68) The London medical review and Magazine. Vol. IV. p. 192.

69) The med. and phys. Journ. Vol. V. Lond. 1801. p. 312.

70) Med. and phys. Journ. Vol. V. p. 253.

71) eod. l.

72) The med. and phys. Journ. Vol. IX. 1803. p. 403.

73) Medico-chirurgical Transactions. Lond. 1812. Vol. III. p. 123. 2 edit.

74) eod. l. p. 135. — The med. and phys. Journ. Vol. XXXII. 1814. London. p. 100.

75) The London medical Repository etc. by G. M. Burrows, W. Royston and A. T. Thomson. Vol. III. 1815. February.

76) The Lond. med. Repository etc. Vol. IV. 1815. July.

77) The Lond. med. and phys. Journ. 1817. January to April. Vol. XXXVII. — Hamburgisches Magazin für die ausländische Literatur, I. B. 1. St. 1817. p. 75.

78) Observations on Mr. Simmons detection etc. with a defence of cesarean Operation etc. Manchester, 1799. p. 97 et 449. — Two memoirs of the cesarean operation by M. Baudelocque, translated by John Hull. Manchester, 1801.

abortu arte provecto annuit; Dr. J. F. Schweighäuser, Aufsätze über einige physiologische und praktische Gegenstände der Geburtshülfe. Nürnberg, 1817. p. 187; C. von Hartmann Auct., Praeside J. A Törngren, observationes circa partum praematurum obstetricia manu parandum. Aboae, 1817. 4. — Harras, Diss. de partu per paracentesin ovi tempestive eliciendo. Berolini, 1819; — Ulsamer, Diss. de partu praematuro arte legitima procurando. Wirceburgi, 1820; — Preller, Diss. de partu praematuro arte effecto. Halae, 1822; — Winkler, Inaugural-Abhandlung über einige Vorzüge der künstlichen Frühgeburt vor der Perforation. Würzburg, 1822.

§. 13.

Verum non ab omnibus haec operatio est laudata, sed plures etiam eam strenue vituperarunt. Attamen non omnes illis vituperatoribus sunt annumerandi, qui inter hos nominantur e. g.: Gumprecht 79), qui l. c. non de partu arte praematuro, sed de partu violento verba fecit; E. de Siebold, qui prioribus duabus in editionibus compendii sui de illa tantum verba fecit operatione, quam nomine Accouchement forçé designamus, sicut Ebermaier 80) et Bernstein 81).

Inter Francogallos vituperatum est propositum et operatio, e quibus reprehensoribus modo Baudelocque 82), Gardien 83) et Capuron 84) erunt nomine nuncupandi. Dubois, uti refert Reisinger 85), in praelectionibus contendit, partu septimo mense incitato matrem et foetum enecari; tamen jam Reisinger monuit, illum commutasse inter se videri partum arte praematurum et partum violentum.

Et in Anglia a quibusdam obstetricibus partus arte praematurus respuebatur; ita fecit M. James Leighton, qui tamen favet partui violento in pelvi angusta 86); Dr. William Nisbet, qui ei uncos praefert, ac dicit: illo nunquam uncos ex arte obstetricia removeri posse 87); alius quidam vituperavit quod publici juris sit factus quia inde abusus universalis minetur 88).

---

79) Ein Accouchement forçé als Beitrag zur gerichtlichen Geburtshülfe, in: Hamburgisches Magazin für die Geburtshülfe von Dr. Gumprecht und Dr. Wigand. Hamburg, 1808. 2s St. p. 110.

80) Taschenbuch der Geburtshülfe. 1807. 2r Bd. p 449.

81) Praktisches Handbuch der Geburtshülfe. Leipzig. 1790. p. 340.

82) Anleitung zur Entbindungskunst u. s. w. II. Bd. p 319.

83) Dictionnaire des Sciences médicales. Paris, 1812. p. 94, — Traité complet d'accouchemens etc. nouvelle édition. Tome III, Paris 1816. p. 15 et 17.

84) Cours théorique et pratique d'accouchemens. 2de edition. Paris, 1816. p. 611.

85) l. c. p. 140. §. 103.

86) The London med. review and Magazine. Vol. IV. 1800. p. 100.

87) The clinical Guide etc. of Midwifery. London, 1800. p. 197.

88) The London med. review and Mag. Vol. IV. London, 1801. p. 102.

Inter nostrates praesertim tanquam adversarii sunt nominandi: Osiander 89), Stein jun. 90) et Joerg 91); prius jam Freymann 92) partum praemature ciendum rejecit.

§. 14.

Priusquam vero referam quae omnia nostri operationi sint opposita, quibus ex causis et quomodo eam vituperarint, necesse mihi videtur ut verba faciam de his, in quibus sit posita, quaenam ejus sint bases, qua nitatur. Nata est ars ab experientia et experimento! — Duo principia prae caeteris exstant quibus innititur haec methodus;

1) capitis ac totius infantis ambitus minor septimo graviditatis mense, ac inde alia inter illum et pelvis amplitudinem ratio;

2) experientia infantes septimo editos mense et vivos nasci et adolescere posse.

Praetermissa descriptione infantis septi- vel octimestris, quae omnibus nota, hic relatu digna mihi videntur, quae Ritgen de diametris singulis, ac de illa inter pelvim et infantis caput, quod illam debet transire, ratione habet: 93)

	In infante vigesima octava septimana nato	— in maturo:
aequavit humerorum latitudo . .	3″ 6‴	— 4″ 9‴
pelvis — . .	2″ 3‴	— 4″ -
diametros capitis maxima . .	3″ 9‴	— 5″ -
— — magna . .	3″ 6‴	— 4″ 9‴
— — transversa . .	2″ 3‴	— 3″ 6‴
— — perpendicularis .	2″ 3‴	— 3″ 6‴

ex his patere, pergit ille, omnes, excepta illa pelvis, diametros quindecim lineis majores esse in infante quadragesima post conceptionem hebdomade, quam in alio vigesima octava nato. Duodecim hebdomadibus ergo quindecim lineas augeri diametrum longitudine; ac annotandum esse magis foetum accrescere posterioribus his septimanis, minus vero prioribus, ita ut quavis novem priorum hebdomadum lineam, tribus ultimis vero lineas duas incrementi capiat. Eadem ratione ut capitis dimensiones etiam

---

89) Handbuch der Entbindungskunst. II. B. 2. Abth. Tübingen, 1821. p. 473. (de hac methodo locutus est in parte subscripta: Von den unnützen und schädlichen Entbindungsoperationen.)

90) Annalen der Geburtshülfe überhaupt und der Entbindungsanstalt zu Marburg insbesondere. 3tes Stück. p. 23.

91) Schriften zur Beförderung der Kenntnifs des Weibes und Kindes im Allgemeinen und zur Bereicherung der Geburtshülfe insbesondre. Leipzig, 1818. 2r Theil. p. 290.

92) Diss. de partu caesareo. Marburg, 1797. 8. — Ad evitandam sectionem caesaream septimo vel octavo mense ciendum esse partum praematurum negavit. — An de nostra locutus sit operatione? dubito.

93) Die Anzeigen der mechanischen Hülfen bei Entbindungen, nebst Beschreibung einiger, in neuerer Zeit empfohlenen geburtshülflichen Operationen und einer verbesserten Geburtszange etc. Mit einem Kupfer. Giessen, 1820. p. 344.

ossificationem incedere, minui vero singulorum ossium mobilitatem. Constitui posse, porro putat, ob ossium cranii magnam illam mobilitatem ab hebdomade vigesima octava ad trigesimam septimam inclusive, ut ad transitum infantis sine periculo sufficiat sin pelvis lumen capitis latitudinem tertia pollicis parte superet — septimana praeterlapsa trigesima septima pollicis dimidium requiri. Ita ergo requirat:

hebdomade	28	minima	capitis	diametros	2'' 3'''	pelvis	lumen	2'' 6'''
—	29	—	—	—	2'' 4'''	—	—	2'' 7'''
—	30	—	—	—	2'' 5'''	—	—	2'' 8'''
—	31	—	—	—	2'' 6'''	—	—	2'' 9'''
—	32	—	—	—	2'' 7'''	—	—	2'' 10'''
—	33	—	—	—	2'' 8'''	—	—	2'' 11'''
—	34	—	—	—	2'' 9'''	—	—	3'' -
—	35	—	—	—	2'' 10'''	—	—	3'' 1'''
—	36	—	—	—	2'' 11'''	—	—	3'' 2'''
—	37	—	—	—	3'' -	—	—	3'' 3'''
—	38	—	—	—	3'' 2'''	—	—	3'' 6'''
—	39	—	—	—	3'' 4'''	—	—	3'' 9'''
—	40	—	—	—	3'' 6'''	—	—	4'' -

Infantem igitur cujus capitis diametros minima aequet 3'' 6''' transire posse sine ulla difficultate pelvim 4''; difficultate quidem sed sine forcipis ope si haec modo $3\frac{3}{4}''$ habeat; in pelvis mensura $3\frac{1}{2}''$ cum forcipe tantum, ast sine multo labore; $3\frac{1}{4}''$ forcipis ope quidem educi posse, sed multo labore; sin vero tres modo aequet pollices, infantem mortuum nasci necesse esse. In illa pelvis parvitate igitur non forcipem sed gastrohysterotomiam vel synchondrotomiam, sive infantis vivi capitis perforationem esse adhibendam. Burns 94) dicit: septimo mense capitis diametrum ab uno latere ad alterum esse $2\frac{1}{2}''$; sub finem hujus mensis (de solaribus vero loquitur) $2\frac{3}{4}''$, octavo vero mense 3''. — Ceterum de foetus incremento cf. de Siebold, de Froriep, Osiander et Carus in horum de arte obstetricia compendiis.

Interrogatu dignum mihi vero visum est, nonne in foetu cerebri compressio minus sit periculosa, quam in hominibus adultis et infantibus editis? Saepissime infantes vivos, ne asphycticos quidem forcipe expediri videmus, quorum partus magnum laborem et virium contentionem requisivit; et in omni partu naturali jam comprimitur cerebrum cum capitis ossa alia super alia moventur; videmus infantes nasci impressionibus in ossa parietalia pluries sat magnis, manifestatur illas in partu, vel etiam

94) l. c. p. 513.

ultimis graviditatis mensibus ortas fuisse pressu quodam ad promontorium justo eminentius, tamen bene valent, accrescunt, ac nullum (quantum in neonatis percipi potest) animi animadvertimus vitium, videmus nasci infantes morbo affectos, cujus culpa vix nati moriuntur, hydrocephalo nempe; videmus hemicephalos (uti ipsi mihi exemplum hujus observare contigit, quem forcipis ope eduxeram) per plures adhuc vivere horas; scimus imo infantes encephalo ex omni parte fere carentes, tamen per aliquot dies vixisse 95). Foetus igitur formatio inde non inhibetur, nec vita tollitur; nonne forsan, uti pulmonum, ita etiam encephali functio et munus post partum incipit, ac ejus laesiones ante illum minoris sunt momenti? nonne relata invenimus de infantibus quorum cranium erat perforatum, et qui tamen vivi sunt extracti? ut horrendum de ea re exemplum auctor ipse refert, feminarum et infantum carnifex, Deisch 96). Priori tempore graviditatis, minoris fortassis adhuc est momenti cerebrum, ac inde, quod non minimi esset pretii, sequeretur, spem adhuc esse infantem vivum enitendi in pelvis tali angustia, quae eum transire permittere non videretur, licet forceps magna adhibenda sit vi. 97) Tamen opinionem vix haec velim nominari.

§. 15.

Quod ad infantis vitalitatem et facultatem porro vivendi perplura invenimus exempla, quae infantes septimestres vivos natos esse et vitam produxisse, demonstrant. Ipse in instituto Regio obstetricio Berolinensi bis partus triginta circiter hebdomadum vivos vidi editos, per horas adhuc plures viventes. Henke 98) affert casus, quos observarunt: Schenk, Vallesius, Cardanus, Fortunatus, Licetus, Diemerbrock etc. dubitat tamen an vera sint, quae attulerunt de infantibus viginti quinque post conceptionem hebdomadibus editis. — Buchholz 99) narrat infantem vigesima septima hebdomade editum, ponderis librae et dimidiae, longitudinis 14″, quinquaginta horas vixisse ac gemuisse; Kopp 100) refert infantem vigesima quarta hebdomade natum per quatuor dies et quinque noctes vixisse; ponderis fuisse librarum duarum, longitudinis $11\frac{1}{2}''$; diametron capitis longitudine dimidiam diametron infantis maturi aequasse; rugis fuisse et lanugine tectum corpus, coloris rubri; ungues nondum adfuisse etc. Kopp illum non vitalem declaravit, ut etiam alium vigesima

---

95) Journal complémentaire du Dictionnaire des sciences médicales. Tome XIII. 51 Cahier. Septembre 1822. p. 202.

96) Osiander's Lehrbuch der Entbindungskunde. 1ster Theil, p. 247.

97) cf. Osiander's Handbuch der Entbindungskunst. II. 2. §. 93. 94.

98) Abhandlungen aus dem Gebiete der gerichtlichen Medicin. Bd. III. p. 267. Bamberg, 1818.

99) Beiträge zur gerichtlichen Arzneigelahrtheit. Bd. II. p. 104.

100) Jahrbuch der Staatsarzneikunde. Bd. III. p. 128.

sexta hebdomade natum, qui ad decimum usque post partum diem vixit; Maygrier 101) infantem mensium quinque et dimidii observavit, per quatuordecim horas qui vixit, se movit et clare clamitavit.

Belloc 102) dicit: „J'ai vu une fille, qui n'avait qu'un pied de longueur, dont la peau était d'un rouge marbré, la tête couverte d'un poil follet, les ongles mal formés, ressemblant à un petit lopin écorché. On la nourrit à la cueillère pendant huit jours, parcequ'elle ne pût, ni ne voulut teter pendant tout ce temps. Cependant non seulement elle a vécu, et elle vit encore agée de dix-sept ans: mais elle est très animable, fort spirituelle et d'un caractère très enjoué; elle est d'une taille plus que moyenne à suelte. Madame sa mère ne peut pas se fixer sur le temps de sa grossesse, mais elle était persuadée, qu'elle n'était pas à terme même de sept mois; je la jugeai tout au plus à six." — Simile quid enarrat Dr. Radman 103) qui Baisley medicinam fecit; infans tam erat tenuis et debilis, ut non nisi tribus praeterlapsis hebdomadibus metiri eum ejusque pondus indagare ausus sit; tum vero cum vestimentis libras duas cum dimidia continebat, longitudo aequabat 13″. Quatuor menses post partum, cum Radman publici hoc juris faceret, adhuc vixit. — Memoratu dignissimum exemplum d'Outrepont attulit 104) Hebdomade vigesima septima post conceptionem ob placentam praeviam ille foeminam versionis ope, illa operatione quam Accouchement forçé appellamus, foetu, cujus situs transversus erat, liberavit. Infantulus vixit, et altero adhuc post partum die vivum illum reperit d'Outrepont; experiendi causa: quam diu ejusmodi vita posset conservari, propinquis, ut infantem eadem, qua ovum incubatum haberi solet, cura foverent suavit; infantem fiscellae erioxylo repletae impositum, aequali semper quindecim caloris graduum temperie allata, motuque interdicto, sugendo imparem sola aqua, cui quidpiam sacchari additum fuit, et postea lacte aqua diluto nutriri curavit. Septimo demum die urina coepit excerni adeo pallida, ut lintea non tingerentur; nono die, alvo prima vice aperta, liquor meconio non dissimilis, spissior decessit; utraque vero excretio per plures menses rarissima erat, hora quavis trigesima urina et die nonnisi sexto vel septimo foeces ejectae sunt. Post duas meconio similes excretiones, alvus dura, alba et fere sicca, sub continuo infantis ejulatu, successit. Spatio viginti quatuor horarum, viginti tres et dimidiam somno fruebatur; tempore, quo somno non indulsa est, nutriebatur, eoque elapso

---

101) Giornale di medicina practica da V. L. Brera. VII. — Medic. chir. Zeitung. 1814. No. 35. p. 151. — Kopp's Jahrbuch. Bd. VIII. p. 350.

102) Cours de Médecine légale, p. 78.

103) Edinburgh Medical and Surgical Journal. 1815. October, No. 11.

104) Abhandlungen und Beiträge etc. p. 180. — Ulsamer l. c. p. 44.

extemplo rursus obdormiebat. Longiori tempore infans neque lumine affici videbatur, neque eum primis tribus mensibus sono commotum esse, certum est. Elapsis quinque hebdomadibus lanugo evanuit; tum primo capilli procrescere, simulque eodem tempore ungues quodammodo consolidari coeperunt. Levissimo etiam motu, quem interdum mundationis causa instituere necesse erat, subito semper frigefactus asphyxiam pati videbatur infans, et arteriarum et cordis pulsus cessabat, ceterum respirationis pulsusque arteriarum tanta abnormitas et inaequalitas erat, ut hac de re determinari quidquam haud liceret; incrementum ejus adeo erat exiguum, ut quinta a partu hebdomade vix unius digiti cum dimidio esset; jam vero recens quasi vita excitari visa est; jam clamare vividius, jam fortius voluntarie moveri, jam minus dormire, jam frui alimento solidiori, immitioremque, quin asphyxia sit correptus, temperiem sustinere et citius incrementum capere coepit. Decimo tandem quarto a partu mense et pondus infantis maturi adeptus erat, et donec ambulare didicisset annos tres et quinque menses natus erat; annum cum dimidio nato testiculi in scrotum descenderunt, anno aetatis tertio debilis quidem, et pro aetatis ratione pusillus, perfecta tamen valetudine fruebatur. Undecim annos natum sanum adhuc vidit d'Outrepont. — His vero probatur et proles tam teneras servari posse, et quamquam rarissime tantum occurrat, tamen vitalitatem (Lebensfähigkeit) illis non esse denegandam, quod alii voluerunt, censeo.

Septimo vero mense praeterlapso infantes saepius servari inter omnes constat, qua de causa et in legibus constitutum, poena ut graviori multentur, qui partum celent, hebdomade vigesima octava praeterita. Primum septimestris partus exemplum Homerus 106) refert de Eurystheo. Nota sunt quae Pseudohippocrates de partu septimestri et octimestri fabulavit; et plures alii etiam persuasum habuerunt, foetum septimo edi mense, si majori solita vitalitate gaudeat 107). Perplura hujus nota sunt

---

105) cf. Henke et Metzger in libris eorum de medicina forensi. — A. Leroy l'enfant, qui nait au sixième mois de la grossesse, peut-il conserver la vie? a Paris 1790.

106) Ἡ δ' ἐκύει φίλον υἱον, ὁ δ' ἕβδομος εἱστήκει ἤδιη.
Ἐκ δ' ἄγαγε πρὸ φόως δε, και ἠλιτόμηνον ἔοντα
Ἀλκμήνης δ' ἀπέπαυσε τόκον, χέθε δ' εἰλειθύιας.

Ilias XIX. 125-27.

Osiander his satyrice apposuit: (Handbuch d. Entb. I. 2. p. 573.) „Sicher kannte Juno das Kunststück Carl Wenzels, oder hat dieser es von der Juno etc.

107) cf. int. al.: Henningi Arnisaei, regis Daniae Archiatri Disquisitiones de partus humani legitimis terminis. Frankofurti, 1641. p. 14. „— — — quod a Platone desumptum est ex 5 de Reipubl. idque imitatur Alex. Aphrod. 2. probl. 28.“ „„Septimestres nascuntur, ubi δυναμὶς διαπλαστικη foetum celerius explicat, sed si e contrario est, decimestres exeant necesse est“““ — conjungit tamquam legitimos terminos septimum et decimum menses.“

exempla, et cuivis certe artem obstetriciam facienti jam occurrerunt, Saepissime eduntur infantes septimo finito mense vel octavo vivi, qui postea adolescunt. Mende 108) et d'Outrepont 109) annotant non solum his respiciendum esse in somaticam evolutionem, sed etiam in dynamicam, et posterior: (l. c. p. 172.) edi saepius, ait, infantes justo graviditatis termino partu celeri ac levi, quorum vita ultimo ictu arteriae funiculi umbilicalis finiatur, quamquam omnia maturitatis signa, nulla morbi vel vitii organici adsint, nec horum quid cadaveris perscrutatione indagetur; ac notum esse servari saepius infantes infirmos et parvos, quadragesima septimana quidem natos, sed immaturitatis speciem prae se ferentes. Cum vero illa vis vitalis ac evolutio dynamica (liceat verbo uti) a priori constitui non possit, et nos certum existimari deberi credimus, ante mensem octavum lunarem foetum vitalem (ad vitam porro degendam aptum) non esse habendum.

§. 16.

His de historia et de principiis allatis, nunc de indicationibus ad partum arte praematurum verba sum facturus. Iis vero sunt adnumeranda: 1) infans in utero mortuus; 2) mors foetus praematura habitualis; 3) partus retardatio; 4) pelvis talis angustia ut infans vivus, maturus edi non possit, nisi perforationis, vel synchondrotomiae, vel imo sectionis s. d. caesareae ope; 5) metrorrhagia; 6) morbi gravidae universales. — Praeter ea etiam Lyne et W. Hunter 110) ut in retroverso utero gravido, cujus repositio nullo sit remedio alio efficienda, punctio parietis posterioris uteri ope acus triquetrae (Troicart) instituatur, suaserunt. — Reisinger his admonuit: quamquam tertio vel quarto mense, quibus retroversio oriri tantum possit, haec facilior reddatur operatio sat magna aquarum quantitate, et experimenta plura hujus utilitatem edicerent; tamen cum plurimum uterus inflammatus inde laedatur, quare operatio ipsa non sine periculo matris esse videatur, foetus vero certe morti dicetur, reliqua artis adjumenta prius esse adhibenda, quae graviditatem non tam certo et violento modo finiant.— Quod ad me, persuasum mihi habeo, hoc casu nunquam esse instituendam, cum et abortus artificialis nunquam sit adhibendus, et remedia alia mitiora jam adsint, qui-

---

108) Ausführliches Handbuch der gerichtlichen Medicin. Th. 2. p. 327. Leipzig, 1821. „Im Allgemeinen nimmt man nämlich bei der Bestimmung der Lebensfähigkeit blos auf das Alter Rücksicht, da dieses doch nur in so weit hier in Betracht kömmt, als ihm eine bestimmte Entwickelungsstufe der Frucht entspricht. Es läſst sich nun aber klar nachweisen, daſs, wenn gleich die Entwickelung der Frucht im Ganzen mit ihrem Alter gleichen Schritt hält, sie dies doch nicht in Beziehung auf die zureichende Lebensfähigkeit thut."

109) l. c. p. 173.

110) Medical Observations and Inquiries. Vol. IV. p. 1771. — Reisinger l. c. p. 250.

bus retroversioni mederi possimus. Carus 111) abortum perforatione tunicarum per os uteri suasit, tamen vero huic obstat oris uteri situs, et illa quae de abortu artificiali sunt dicta et dicenda.

§. 17.

Saeculo jam decimo sexto Eucharius Rhodion 112) proposuit, foetus mortuos citius e gremio materno esse educendos. — Recentiori tempore praesertim Mai a foetu mortuo gravidam liberare suasit, his verbis 113). „Nec minor est partus per violentam velamentorum rupturam praemature procurandi necessitas, si manifestiora symptomata foetum in utero matris demortuum denuncient. Miror sane doleoque, summos in arte obstetricia viros cadavera in utero matris eousque reliquisse, donec spontaneis, saepissime nimium retardatis, uteri contractionibus expelleretur foetus, non raro semi-vel ex integro putridus. Scrupulosa haec artis inertia multarum certe gravidarum sanitatem pessumdedit, quin plures letho tradidit matres. — Nolo hic fusiori calamo depingere pericula, quibus gravidarum exponatur salus, si vel violentia externa, vel causis internis trucidetur foetus; squalet sane totus organismus utero in sepulcretum converso. Flaccescunt lactis materni fabricae; horret marmoreo frigore abdomen, concidit regionis umbilicalis intumescentia, silet omnino notabilis olim foetus motus, pondus grave premit caetera pelvis contenta, vesicam urinariam ac intestinum rectum; uterus flaccidus cum incola suo gravitantis globi vel lapidis ad instar in unum alterumve latus volvitur, prout gravida situm in lecto permutat, omnes et animi et corporis mire perturbantur per mortem foetus functiones. Cur? si fatum hoc obruat gravidam septi- aut octimestrem, cur, inquam, diutius retardetur manus acu velamenta perrumpentis auxilium, donec forsitan vires vitae cadavere in utero sepulto labefactentur? Nonne et in hoc casu prudens ac necessaria est partus praematuri procuratio? Nonne accelerandа velamentorum per acum aut cultellum disruptio, antequam et placenta et foetus in putredinem matri insidiosam abeat?“ et alio loco: „Ihr sollet mit einem Eid versprechen, daſs ihr die in der Schwangerschaft durch innere oder äuſsere Ursachen sicher verstorbenen Siebenmonatkinder, oder auch reifere Leibesfrucht bei nicht erscheinen wollenden Geburtswehen, nicht länger mit Lebensgefahr der Schwangern in der Gebärmutter liegen lassen, sondern durch eine Zwangs-

111) Gynaecologie II. §. 1090.

112) Der swangern Frawen und Hebammen Rosegarten, Cöln 1512. — Das neund Capitell sagt von eynen todten kynd in muter leib u. s. w. Item wie man das todt kindt von muter leib bringen sol

113) De necessitate partus quandoque etc. etc.

geburt die Frau entbinden wollet.“ Quamquam, ut mihi videtur, pericula a foetu in utero defuncto dependentia, non talis sint momenti, qualia illa Mai depinxit, tamen negari non potest perturbari infantis morte in utero matris hujus valetudinem; nec negandum morbos uteri a partu foetus jam putrescentis saepius ortum ducere.

Huic indicationi opposuere: Signa infantis in utero emortui difficillime dijudicari, medicum ab illis facillime decipi posse; dum infans emortuus velamentis adhuc sit inclusus vix putredinem accedere posse, nisi illis diruptis et aquis evacuatis, et ne illarum effluxum quidem certe partum efficere, quare tum matri damnum afferatur, quia putredo accedens utero inmica sit et debilitans, indeque hujus inhibens contractiones, quo fiat ut artis ope tantum solvi possit partus.

Obsunt vero his, quod saepe infantes adhuc velamentis inclusi putrescentes jam pariuntur, quo elucet ovi tunicis etiam non diruptis putrere posse foetum, inde ab aquarum effluxum nihil esse timendum; notum quidem decursum partus, quo infans mortuus edatur, esse lentiorem, sed cur lentius adhuc incedere debeat, si ars eum incitarit? et si situs foetus transversus adsit, et natura eum edere vellet, versio esset instituenda.

Non in omni casu, sed in illis, in quibus foetum emortuum certitudine edicere valemus, et cum eluceat inde matris evadere periculum, partum arte praematurum incitandum esse, credo.

§. 18.

Raro quidem, sed tamen obveniunt exempla quibus infantes semper octavo vel nono mense, sine ulla causa perspicua, sub impetu horroris emoriuntur ac hebdomades aliquas post eduntur. Matris semper spes deletur, et quamquam sit sanissima, foetus eduntur mortui paulo ante justum partus terminum. Quam ob rem jam Denman 114) partum arte praematurum ante illum mensem fatalem, instituendum suasit. Occurrit enim saepius eadem gestationis hebdomade, eodem imo die foetus eniti praematuros, mortuos. Simile quid Baudelocque 115) narrat de foemina, quae prius sectione caesarea liberata, tum quater partum septimo edidit mense. — Anne causa, nisi eadem, tamen similis infantis etiam mortem inducere possit, decidere nolo; partuum illorum ante tempus legitimum causa tamen ab expansione cicatrice impedita pendere mihi videtur. Quinam vero uteri morbi, vel qui status ejus totiusque organismi (nam et ab hoc foetui mors inferri potest) hanc ferant culpam, quomodo fiat, quibus haec mors, ut ita dicam, periodica causis tribuenda sit, cui typus ipse, alii majoris experientiae ac sagacitatis viri decernere velint.

---

114) l. c. p. 180.

115) Anleitung zur Entbindungskunst etc. Th. II. p. 323.

Affert d'Outrepont 116) septem inter annos foeminam septies octavo in mense infantes mortuos, putredine jam affectos peperisse, antecedente frigore acerbo. Observatur in universum frigus tale et horrorem concomitari infantis in utero mortem, et plerumque illa non deesse hoc in casu, si omnes infantes eodem graviditatis mense emoriantnr et edantur (Habituelles Absterben). Denman bis partum eo tempore incitavit, quo infantes vivere adhuc certe scivit, ac in utroque casu infantes vivi, salva matre, sunt editi.

Reisinger 117) ad hos usque casus extensioni partus arte praematuri plura obesse annotat, inter quae commemorat, jure esse dubitandum, an etiam horror intrarit, et an infans sine artis auxilio certe perierit; anne graviditas ad justum usque terminum sit perduratura, et nullo quidem morbo interpellata, ita ut non raro abortus vel partus praematuri iterum iterumque repetiti (habituelle Mifsfälle) graviditate normali, tanquam typo ingrediente, interrumpantur? Difficile videri, horum eventorum causas detegere, aut mitiori modo ea prohibere vel innoxias reddere. Difficile porro esse, certitudine constituere an foetus vivus sit mortuusne 118), difficilius adhuc graviditatis illam constituere periodum, in qua sit instituenda tunicarum diruptio, ac praeterea foeminae, cujus graviditates semper eventis commemoratis sint perturbatae organismum aegritudinis gravioris participem esse, videri, ita ut vis talis artis vix sit audenda. Ceterum mirandum esse, Denman horrores illos et foetus mortem eadem velle evitare operatione, cui Merriman eosdem incessus, ac infantis eodem tempore obitum tribuat. — Non est denegandum vera his inesse; tamen et referenda hic sunt, quae ut in iis casibus instituatur, suadeant. Difficillimum esse in illis causarum perscrutationem, quis est qui negare velit? Saepissime mater ceterum sanissima esse videtur, et quamvis fortassis cura prophylactica institui possit, gravidae constitutioni quidem apta, quia tamen hac excepta nullae adsunt indicationes, non raro occurrit, et his infantum mortem et partum praematurum non inhiberi. Quis vero si ter vel quater jam infans praemature mortuus est editus, quamquam omnia hac ratione adhibita sunt, non cum Celso putet: melius esse anceps adhiberi remedium, quam nullum? Quid!, proh dolor! spe fallacius? — Cur, nunc saepius infantibus mortuis editis, qui paulo ante se adhuc vivere motu (a medico et gravida percepto) indicaverant, cur non esset adhibenda haec methodus, qua partus praematurus elicitur, cum constet hanc operationem per se matri damnum non afferre, cum experientia docuerit ea saepe

---

116) Abhandlungen und Beiträge etc. p. 41.

117) l. c. §. 175. p. 247.

118) An certum mortis vel vitae foetus explorandae auxilium insit auscultationi — nondum dijudicatum est.

etiam infantes salvos elici? His bene perpensis non video cur non sit instituendus partus arte praematurus. Quae vero pertinent ad vitam foetus ejusque perscrutationem, nec non ad horrorem et frigus ad infantis obitum gravidarum illarum in quibus ad partum praematurum arte legitima procurandum velamenta sint dirupta, nec non parturientium et puerperarum, infra adhuc pluries repetenda erunt.

§. 19.

Ridiculosum videtur partus retardationem afferre inter indicationes ad partum arte praematurum. Discrepare haec inter se negari nequit, quae Reisinger 119) jam monuit, simulque adjecit, cur in tractatu de partu arte praematuro non sit praetereundum hoc propositum.

Nihil hic proferam de lite et inter medicos et inter jurisconsultos, an dentur partus serotini, nec ne. Quamquam etiam perplures rationes magni momenti obsint, tamen et experientias permultas habemus, quae probant infantem serius constituto tempore edi posse; partus enim jam retardationem occurere, lithopaedia in utero inventa probant, sicut etiam observationes in animalibus, ut e. g. in vaccis. Adsunt etiam casus, qui negari vix possunt, uti notus est quidam a G. W. Stein sen. 120) observatus; Foderé 121) et Klein 122) de uxoribus suis narrant idem; et praeterea hujus exempla protulerunt: Heister 123), Petsch 124), Arnold 125), Osiander 126), Spigelius 127), Sonnenmayer 128), d'Outrepont 129); etiam E. de Siebold se partus prorogationem ad quatuordecim et viginti quatuor dies observasse, praesertim inhibito prioribus mensibus abortu, testatur 130). Fusius haec, et quoad medicinam legalem spectant Henke 131) pertractavit. Carus jam recte mihi

---

119) l. c. p. 239. §. 170. Anm. „Es erscheint zwar die Erregung des Gebärungsactes hier nicht als eine wahre Frühgeburt, allein da die nämlichen Mittel der Kunst benützt werden, und da die Geburt stets vor dem Zeitpunkt hier veranlaſst werden soll, welcher in dem individuellen Falle als das Ende der Schwangerschaft gelten muſs, so dürfte dieser Vorschlag immer der Lehre von der künstlichen Frühgeburt einverleibt werden." —

120) Dr. J. F. Schützen's Geschichte einer sehr merkwürdigen zwölfmonatlichen Schwangerschaft Coburg, 1788.

121) Traité de médecine légale. Tome 2. p. 125.

122) Kopps Jahrbuch. Bd. 3. S. 252.

123) Diss qua partus XIII. mestris pro legitimo proponitur. Helmst. 1753.

124) Diss. de graviditate prolongata. Halae 1775.

125) Tractatus de partu serotino etc. Lips., 1775.

126) Annalen der Entbindungs-Lehranstalt zu Göttingen. 1801. p. 95.

127) Epistola de incerto tempore partus. Patav., 1816.

128) E. v. Siebolds Journal etc. I. Bd. 3s Heft. No. 25,

129) Salzburger medic. chir. Zeitung. 1818. 2. Bd. No. 34.

130) Lehrbuch der Entbindungskunde. I. Bd. 4te Ausg. Nürnberg, 1824. §. 296. p. 250.

131) Abhandlungen aus dem Gebiete der gerichtlichen Medicin. Bd. 3.

monere videtur 132) graviditatem protractam medium tenere inter graviditates normales et diuturnas, quarum etiam exempla non desunt. 133). Describuntur infantes partu serotino editi vel longe majores infantibus justo gestationis termino natis, vel etiam illis minores, quod Foderé inter alios narrat de filia, quam uxor ipsius peperit, praetergressis jam quadraginta hebdomadibus, eam tam parvam (si petite, si chetive) fuisse, ut an jam partum ediderit, nec ne mater nesciisset. — Quae ad signa hujus status et ad causas, nulla illis addenda mihi videntur, quae Carus 134) et Osiander 135) attulerunt.

Mai primus hic partum praematurum eliciendum esse suasit: „Eadem mihi praeplacet praematura obstetricantis auxilii activitas, si forsan ex quacunque demum caussa, uteri gravidi inertia in undecimum usque graviditatis mensem expultrices protraheret contractiones.“ Etiam Osiander partum incitare jubet. — Ritgen 136) ita habet: „Um zu langes Uebertragen zu verhüten, wäre vielleicht die Punktion in der 41sten Woche angezeigt.“ — Carus 137) quo ad officia medici in graviditate prolongata et diuturna, haec monet: Non prohiberi, quin suppeditet medicus naturam ad finem graviditatis normalem in foetu expellendo, matris vita non necessarie in discrimine versante, cum uteri degeneratio vel imo ossificatio timenda sit, et quidem si septimana quadragesima adsint dolores ad partum, aquae effluant, partus vero non cedat, mox dilitationem oris uteri, mox versionem, vel forcipem, vel extractionem in usum esse vocandam; ad hebdomadem quadragesimam doloribus ad partum provenientibus, ore vero uteri clauso, vel concreto et inde incedentibus moliminibus et statu quodam morboso, cum de justo operationis fine nulla sit dubitatio, ars ut agat, necesse esse. Quo modo partus sit incitandus, a ceteris pendere conditionibus; „ohne Zweifel ist indefs hier die mildeste und einfachste Anregung vorzuziehen und das Verfahren, welches man für die Bewerkstelligung der künstlichen Frühgeburt angewendet hat, würde demnach nebst der Anwendung von Wehen erregenden Arzneistoffen, am meisten empfohlen werden müfsen. — — — — — Jedenfalls würde übrigens ein solches Verfahren dem zu solchem Zweck auch vorgeschlagenem Accou-

132) Von zu lange dauernden Schwangerschaften in der Gebärmutter etc., in desselben: Zur Lehre von Schwangerschaft und Geburt etc. Leipzig, 1822. p. 41.

133) Lawrence in: Med. chir. Transactions, published etc. Vol. V. 1814. Abhandlungen der K. K. Josephinischen med. chir. Akademie zu Wien. I. Bd. 1787. p. 226.

134) l. c.

135) Handbuch der Entbindungskunst. I. Th. (Tübingen, 1819.) §. 442. S. 344.

136) Die mechanischen Hüllen etc. p. 350. No. 6. — Partus serotinos se observasse narrat, in: Jahrbücher der Entb. Anst. zu Giessen etc, 1820. p. 52.

137) l. c. p. 43.

clement forçé vorzuziehen seyn." — Sed etiam cum graviditas jam sit prolata per menses vel imo annos, praesertim propter signa de vita infantis 138) arte partum esse promovendum, nisi conamina naturae ad partum desint.

His mihi ex omni parte assentiendum videtur, et nihil me scire, quod adhuc sit addendum, libenter fateor.

§. 20.

Pelvis angusta prima inter indicationes ad partum arte praematurum nominatur, cum non solum eam ob causam primo, sed etiam utplurimum esset instituta. Brevibus modo hic erit illud exponendum, cum plurimi de nostra operatione verba facientes, id fusius tractaverint.

Accusamus praesertim tanquam causas pelvis coarctatae: rhachitidem, scrofulam, vim mechanicam pelvis ossa laedentem; 139) osteosarcosin, fracturas ossium pelvis, exostoses et tumores alius generis (uti steatomata, sarcomata etc. etc). — Ipsa vero pelvis vel in una tantum diametro, vel in quadam apertura, vel etiam ex toto angustata esse potest, corporis incremento inhibito. Cum vero pelvi coarctata infans normali partu, sola naturae ope edi plurimum non possit, nisi illa solito sit minor, ad partum solvendum his utimur artis adjumentis:

§. 21.

Forcipe, quae tunc tantum est applicanda, si pelvis angustia infantis vivi partum adhuc permittat; cum vero notum, infantis caput lineas circiter quatuor vel quinque 140) comprimi posse — quae compressio tamen ossificatione majori vel minori ossium capitis infantilis mutatur — in infante maturo adplicanda erit, cum spe nempe servandae vitae, in pelvi cujus conjugata aequat pollices tres cum dimidio. In pelvi minori quidem est adhibita et adhiberi potest, si infantis caput sit parvum, fonticulique et suturae late hient; alia conditione ne damnum matri inde evadat, semper est timendum, et non desunt exempla, quod vel uteri laesiones, vel disjunctio contextus singulorum pelvis ossium, vel alii matris morbi lethales inde sint orti. Weidmann 141): postremum, ait, pessimumque pelveos angustiae gradum illum accipimus, qui septem centumetris ($2'' \ 7\frac{1}{4}'''$) non major vel et minor est; exiguum, qui novem saltem centu-

138) Qui rideant, me de infante adhuc vivo, graviditate jam in annos protracta, loqui, hi evolvere velint: Meckel, Handbuch der pathol. Anatomie. 2r Bd. p. 169.

139) Osiander's Handbuch I., 1. §. 209. — v. Froriep, §. 63. v. Siebold's Lehrbuch, 4te Aufl. I. Bd. §. 142.

140) Baudelocque Anleitung etc. II. p. 22.

141) De forcipe obstetricio. p. 51.

metros ($3\frac{1}{2}''$) aequet. Mihi quidem videtur, forcipem non esse applicandum, nisi conjugata minimum aequet pollices tres cum quadrante, uti jam memoratum, his exceptis casibus, in quibus infans solito minor, fonticulos et suturas late hiantes praebeat; praeterea infans quamvis minimus mortuus protrahetur — non enim statuere possunt casus rarissimi legem.

§. 21.

Versione, quam praesertim Osiander 142) commendavit, et quidem his ex rationibns: versione instituta mentum, partem faciei infimam ad pectus magis demitti, ita ut cum collo cuneum vel conum repraesentet, cujus cacumen primum in pelvim intraret et hoc modo infantem ambobus in capitis lateribus forcipe et pedibus arreptum (ita tamen ut posteriores non attraherentur) facie synchondrosi sacro-iliacae uni vel alteri conversa, facilius in pelvis aperturam superiorem descendere et per pelvim traduci posse; capite vero praevio partem ejus latiorem in angustias trahi, quin alio loco, nisi in utroque latere a forcipis brachiis corripiatur. Huic opinioni beatus Wigand 143) assensit, cum contendit: Mento facilius quam occipite praevio caput per pelvim traduci posse, unde pluries supervacanea reddatur perforatio. Gardien 144) de iis, et uti mihi saltem videtur, jure dubitavit: Baudelocque infantis pedibus primis extractionem in pelvi vitiosa: periculosam vocat methodum 145). Dubois versioni in pelvi angusta in universum non favens, ad summum conjugata pollices tres cum dimidio vel quadrante aequante, haec encheiresis ut applicetur, concedit. Si pelvis justo magis sit prona, et in superiori et inferiori apertura coarctata, vel si funiculus umbilicalis brevior, vel manus praeter caput praevia ejus impediat progressum, melius putat Osiander sine mora versionem institui, quam forcipe periculum fieri, cum difficilius sit, capite praevio traducere per pelvim infantem, praesertim operatione diutius durante incertius et infantis vitae perniciosius, quam infantis in pedes versio 146). Imo applicata forcipe et jam ejus ope institutis tractionibus summa capitis compressione conjunctis, versionem ad infantem servandum esse instituendam, cum tale quid obstetricans animadvertat. Porro Osiander versione uti solet, cum pelvis apertura inferior sit coarctata, praesertim pelvi plus 40° inclinata,

---

142) Grundrifs der Entbindungskunst. II. Bd. p. 291.

143) E. v. Siebold's Lucina. II B. 2. St. p. 40.

144) Traité complet d'accouchemens etc, Tome III., p. 14.

145) Anleitung zur Entbindungsk. II. Bd. p. 298.

146) His vero parum consentire videntur, quae invenio in: Osiander's Handbuch d. Entb. II. B. 2. Abth. §. 94. Anm. §. 95 et 96.

quo casu capite praevio raro infans, nec sine maximis difficultatibus per pelvim traduci possit. Osiander versionem instituit capite jam ad partem pelvis angustam praegresso 147).

Reisinger jam de periculis matri et infanti versione in pelvi angusta, capite praevio et in pelvis jam cavum ingresso, minantibus latius verba fecit 148). Pendent vero illa ab angustia ipsa, ab aquis in initio partus prorsus effusis, a timenda hysterocele et menti a pectore deviatione, a brachiis extractione infantis praecipitata subtus collocatis et solvendis, a pressu funiculi umbilicalis etc. Joerg ex toto hoc propositum rejecit 149).

Quo ad me, fateor mihi saltem in omni partu summum medici obstetricantis videri, ut naturae sit minister (natura certe inter ea quae ars adhibet, plurima potest) et ut ei succurrat ad partum normalem, naturalem reddendum. Nonne et in iis positum est dirigendi infantis in caput consilium, jam antiquissimum, recentiori tempore ab Osiandero ipso, Wigand, de Siebold et d'Outrepont commendatum? Ex omni parte fatendum, partum capite praevio, caeteris paribus facilius solvi, quam agripparum partum, qua de re mihi versio infantis in pedes, si caput praevium percipiatur, ob pelvis angustiam solam non esse instituenda videtur, nunquam vero caput removendum, si jam in pelvim minorem intraverit. Unum tamen genus coarctationis pelvis hîc excipiendum esse, persuasum mihi habeo, illos nempe casus, in quibus foeminae illo morbo, qui mollities ossium, osteomalacia, osteosarcosis, malacoston audit, sunt affectae. Hîc felici successu versionem institui Weidmann 150) jam commemorat; caput intrare nequit, manu vero obstetricantis, postea infantis partibus extremis inferioribus pelvis dilatatur, vel ad formam normali appropinquantem reducitur quasi, ita ut traduci possit infans, qui ceterum nullo modo nisi gastrohysterotomia pari potuisset, et James Barlow 151) casum affert versionis septimo graviditatis mense institutae, ubi gemellis viventibus protractis, conjugata duos modo pollices cum dimidio aequaret; foemina vero osteomalacia esset correpta. Tum vero versio ipsa matri

---

147) Reisinger l. c. p. 327. Anm. „Zweimal sah ich nach fruchtlosen Bemühungen mit der Zange und nach seiner (Osianders) Versicherung bei beträchtlicher Enge des Beckens, die Entbindung durch das Wenden des Kindes und Ausziehen bei den Füſsen vollenden; die Kinder aber wurden todt zur Welt gebracht.

148) l. c. §. 217. adjecit adhuc: „Es kann selbst der Geburtshelfer sich noch gezwungen sehen, eine durch die Wendung begonnene, aber unvollendete Entbindung mit einer schwierigen und gefahrvollen Enthirung und Zerstückelung zu beendigen, besonders wenn der Beckenausgang auch bedeutend verengt ist; und der Mutter droht der Tod."

148) Ueber das physiologische und pathologische Leben des Weibes. Leipzig 1810. 1. Th. §. 498.

150) De forcipe obstetricio etc. p. 58.

151) The medical and physical Journal. 1801. Vol. V. p. 40.

non ita horribilis, quam sectio s. d. caesarea; obit vero certe; si igitur infantis hoc servandi spes est remedio, praeferendem alteri esse puto.

§. 23.

Perforatione. Dolendum est, quod hac de operatione verba adhuc sunt facienda! Tamen non ex omni parte, quod voluit Osiander, est rejicienda. Et adsunt casus in quibus excerebratio non potest evitari 152). Ita de hac methodo judicant artis principes: de Siebold, Carus, Boër, Wenzel, Joerg et pius etiam nunc beatus Wigand, qui adeo ut infantis vivi adhuc caput perforetur, ad matrem servandam suasit 153). Non negandum pluries ea usos fuisse veteres, ubi forcipe vel alio modo infans vivus elici potuisset, et nunc etiam forcipe jam pridem cognita — nam quomodo sint accusandi, quibus aliud non praeerat adjumentum? Difficillimum sane de ea judicare; nec adsunt, nec adesse possunt certi fines, quibus haec limitetur operatio, forcipis usus et gastrohysterotomia. Stein sen. constituit, adhibendam esse eam, nisi conjugata tres excedat pollices, majori vero forcipe liberandam esse foeminam. Tamen accidit ut et in pelvi trium pollicum cum quadrante, partus nisi perforationis, et conjugata tres modo aequante digitos jam forcipis ope solvi posset. Adhibenda haec encheiresis nulla alia ratione videtur, nisi infans mortuus forcipe non sine magno matris periculo et damno educi possit. Infantis vivi caput perforare, nunquam concedendum, quaequae dicant Angli, imo Wigand noster.

Hic vero prae omnibus partus arte praematurus adhibendus mihi videtur, quo saltem spes infantis vivi non ex omni parte rejicitur, unde quoque matri vix periculum minatur. Faxit deus quin in pelvis tali angustia jam prioribus graviditatis mensibus obstetricum auxilium imploretur, haec operatio mox sit plane remota!

§. 24.

Synchondrotomia 154). Quantum in ea sit, forsan ejus historia jam probat. Inventa, publici juris facta, eximie laudata 155), mox penitus neglecta est. Baudelocque 156), narrat tredecim infantes, cum trigesies esset instituta ejus ope vivos

152) Embryulcia vero, uti mihi videtur, nunquam est utendum, cum plurimum exempla probent, ea non opus esse; qua de causa etiam hanc non commemoravi.

153) Die Geburt des Menschen etc. II. Bd. p. 56 u. 58.

154) cf. Baudelocque Anleitung etc. II. Bd. p, 326. — Süe Geschichte etc. I. Bd. p. 241. Historische und kritische Anmerkungen über die Durchschneidung der Schaambeine.

155) Weidmann Entwurf der Geburtshülfe. §. 745. „Die Schoosbeintrennung schien gleich nach ihrer Erfindung eine so glückliche Operation zu seyn, daſs man in dem Glanze ihrer Neuheit die ganze Prüfung des Werths zu vergessen schien.

156) Anleitung etc. II. Bd. p. 411. Anm. u. p. 413. Anm.

editos, triginta (? 13 ?) vero matres mortuas esse. Haec si vera essent et credenda, non mirandum Wendelstaedt eam seponendam et sepositam jam habere. Recentiori tempore tamen iterum rem perscrutati sunt, Batavi praesertim et inter hos Vrolik 157); nec obsunt ei Francogalli, nominatim Gardien et Dubois; inter nostrates minus de ea cogitatum videtur, sed optandum esset ut melius haec inquireretur operatio, quod optat mecum Ill. de Siebold 158) qui eam fusius tractare promisit 159); utinam his mox merita accumularet!

Ex his vero quae expertus est Vrolik, patet: longiorem reddi pelvis conjugatam 2″ 6‴ aequantem ad 2″ 8‴ 6⁗, si ossa pubis pollicem discedant; sin

1″ 6″	in eadem conjugatae diametro	2″ 9‴ 3⁗
2″	- - — — —	2″ 10‴ 3⁗
2″ 6‴	- — — —	2″ 10‴ 11⁗
3″	- - — — —	3″ 2‴ 3⁗
1″ 6‴	in conjugata tres aequante pollices	3″ 3‴ 2⁗
2″	- - — — — —	3″ 3‴ 10⁗
2″ 6‴	- — — — —	3″ 4‴ 4⁗

ad pollicis tertiam partem vel dimidium pelvis augeri diametrum necesse esse; cum vero ossa capitis intra ossa pubis dissecata intrent, ad pollicis quadrantes tres conjugatam pelvis longiorem reddi posse. An vero, uti Gardien ex experimentis, quae Girand et Ansiaux instituere, concludere voluit, conjugata eadem symphyseos ossium pubis distractione eo longius reddatur, quo pelvis vitiosior, dubitandum est.

Adhibendam esse hanc operationem putant: pelvi ita, praesertim quo ad diametron transversam coarctata, ut forceps applicari nequeat; capite ita incuneato, ut pelvis exitum transire sine ope alieno non possit, forceps vero nulla adsit 160), vel quae aderat ejus brachio dirupto, nec alia sit accipienda; post versionem, si caput infantis educi non possit; vel capite protracto, si humeri educi nequeant. 161)

Ritgen 162) monet: in capite magnitudinis normalis sufficere pelvis magnitudinem 2½″ vel 3″; in capite vero solito majori vel ossificato magis conjugatam esse

---

157) v. Siebold's Journal etc. I. B. 3. St. p. 542.

158) Lehrbuch der praktischen Entbindungskunde. p. 456.

159) A. E. v. Siebolds Biographie. Aus Bernsteins Geschichte der Chirurgie besonders abgedruckt. p. 28.

160) Stark's Archiv f. d. G. 3r Bd. 4. St. Jena, 1791, p. 694.
Löffler synchondrotomiam felici successu in littoribus Africae suscepit, cum, capite incuneato, nec forceps ei praesto esset, nec obtinenda.

161) Infante vivente tantummodo instituendam esse operationem, vix erit annotandum.

162) Anzeigen der mechanischen Hülfen etc. p. 394.

debere pollicum 3, vel 3 cum $\frac{1}{4}''$; forcipe vero traduci posse synchondrotomia facta per pelvim, cujus conjugata pollices duos modo vel duos cum dimidio aequaret. 163) Experimentis haec essent perscrutanda. — An vero, uti idem interrogat, post matris mortem gastrohysterotomiae in pelvi $2\frac{1}{2}''$ synchondrotomia sit praeferenda, dubito. Hunteri propositum vix memoratu dignum, qui ut synchondrotomia et capitis perforatio simul adhiberentur, quo sectio s. d. caesarea evitetur, voluit.

Quid pretii huic insit operationi, de eo judicare timeo, cum lis et inter artis sit magistros. Mihi rarissime adhibenda videtur, et ea quidem solummodo ratione, cum pelvis diametros transversa paululum sit minuta, praesertim in parte anteriori, inter ossa pubis sita, quod vero exploratu est difficillimum. Timendum semper matris inde evadere damnum majus, quam e sectione s. d. caesarea. 164) Partu arte praematuro evitari eam posse, persuasum mihi habeo.

§. 25.

Sectione s. d. caesarea. Quamvis quae Stein sen. 165) protulit, non credam, artis obstetriciae summam esse et palmariam hanc operationem, tamen consentiendum est cum illo, magni esse momenti et periculosissimam.

Quos notatos invenio casus, vel potius quorum comparationem, infelicium cum felicibus, hi sunt: Hull 166) numerat casus 231, quorum 139 felici exitu sunt gavisi. — In Anglia vigesies semel instituta hac operatione, semel tantummodo mater, undecim infantes sunt conservati. 167) — Nettmann 168) affert 27 felici, 41 infelici successu susceptae gastrohysterotomiae historias. — Klein invenit ab anno inde 1500 ad 1772, 76ies feliciter, sexies vero inauspicate institutam esse sectionem s. d. caesaream; ab eo vero tempore ad finem usque saeculi praeterlapsi, vigesies adversa,

---

163) Dubois in pelvi $2\frac{3}{4}$ ad $3''$ ut instituatur, et semper ut forceps adhibeatur suadet.

164) cf. v. Siebold's Lehrbuch etc. II. Th. §. 573. — v. Froriep l. c. §. 521. — Osiander's Handbuch etc. II. 2. §. 236 sqq. — Ritgen Anzeigen etc. p. 390. — Reisinger l. c. §. 203.

165) Practische Anleitung zur Geburtshülfe. 3. Auflage. 1783. §. 879. „Der sogenannte Kaiserschnitt, das Meisterstück in der Entbindungskunst, ist die wichtigste, gröſste und gefährlichste chirurgische Verrichtung eines Geburtshelfers etc.“

166) Two memoirs on the cesarean operation by M. Baudelocque translated by John Hull. 1801. p. 233. — Observations on Mr. Simmons's Detection etc. with a defense of the Cesarean operation, derived from anthorities etc. etc. a Description of the female Pelvis, an Examination of Dr. Osborn's opinion's etc. by John Hull. p. 94.

167) Burns l. c. p. 515.

168) Diss. sistens sectionis caesareae historiam. Halae 1805.

quatuordecies secunda fortuna. 169) Lauverjat 170) narrat felici successu 77iès institutam fuisse hysterotomotokiam; plura adhuc invenies apud Baudelocque 171).

Infelicem recentioris temporis successum recte mihi Reisinger 172) ei tribuere videtur conditioni, quod rarius, et in pelvi minori tantum susciperetur partus caesareus, in foeminis graviditate jam aegrotis ob staturam; nec raro longius jam per tempus incepto ad partum labore etc. qua de causa etiam in Anglia plurium exitus infelicissimus. Idem Stein jun. commemoravit. 173)

Pelvim gastrohysterotomiam poscentem eam statuit Levret, quae ita coarctata sit, ut ne obstetrix quidem manum traducere possit suam; Stein sen.: ubi conjugata non superet pollices tres; Ritgen in conjugata pollicum duorum cum dimidio vel tribus quadrantibus, et capite solito magis ossificato ad pollices tres cum dimidio. Vix certa quaedam conjugatae longitudo constitui potest, cum et pelvis diametros transversa minuta requirere possit operationem conjugata imo justo majori; vel alia pelvis vitia, uti osteosteatomata, exostoses post fracturas, protrusio fossae glenoidalis femoris in pelvis cavitatem 174) etc. exigere videantur sectionem s. d. caesaream conjugata non abbreviata. Scire tamen licet tumores non ex omni parte esse timendos; cum interdum alio modo, arte chirurgi, removeri possint. 175)

Ut vero compensetur alia operatione haec, fieri non potest, cum talis quaedam adesse possit pelvis coarctatio, ut ne digiti quidem intrent explorantis. Tamen saepius jam dubitarunt quidam de sectione caesarea, vel de perforatione capitis adhibendis, cum pelvis trium fortassis digitorum infantis viventis, maturi non permitteret transitum. Sunt hi casus, in quibus vel mater infanti, vel infans matri sacrificatur; mater fere semper. Ibi sane ambo partu arte praematuro servandi fuerint, si medicus prius advocatus septimo vel octavo mense eum instituerit.

---

169) Osiander's Handbuch II. 2. p. 329. Anm.

170) Neue Methode den Kaiserschnitt zu machen etc., a. d. Fr. übers. von Eysold. Leipzig, 1790. p. 239.

171) Anleitung zur etc. II. Bd. p. 302. Anm.

172) l. c. p. 338.

173) Die Lehranstalt det Geburtshülfe zu Bonn. Elberfeld, 1823. 1s Heft. p. 113 sqq.

174) C. C. Creve von den Krankheiten des weiblichen Beckens. Mit XI Kupfertafeln. Berlin, 1795. 4. Handbuch der pathologischen Anatomie von Fr. Meckel. Halle und Berlin, 1816. 2 Bd. p. 250. sqq.

175) Annalen der Geburtshülfe etc. von G. W. Stein d. j. IIIs St. Leipzig, 1809. p. 161. — Burns l. c. p. 41 sqq.

§. 26.

Medicaminibus infantis incrementum inhibentibns et diaeta parca eundem ad finem. — Jam Graecas his usas fuisse, Plutarchus in Lycurgo narrat, cum infantes minus validos sed formosiores inde parare sibi vellent. Recentiori tempore iterum huic rei animum medici adverterunt. Baudelocque 176) jam monuit diaetam ac victus rationem vix aliquid ad infantis incrementum valere, cum foeminas confectas et exhaustas infantes magnitudinis solita majoris, contra vero salvas et bene nutritas imbecillos parere vidisset. Ita cum in plurimis infantibus ossium structura sit eadem fere, in pelvi paululum coarctata tantum conducere aliquid posse diaetam. Brünninghausen 177) et Ackermann 178) praesertim diaetam parvam, ossium generationi minus faventem, regni vegetabilis, medicamina extenuantia, venaesectiones, et inhibitum aëris oxydati usum eum ad finem proposuerunt. Negari nequit his aliquid effici posse, tamen nondum satis experientia sumus docti. Joerg 179) ex omni parte respuit propositum illud, nec annuunt ei Weidmann et Froriep 180). E. de Siebold 181) interdum quidem optatum eventum iis non est assecutus, tamen etiam quibusdam in casibus utilitatem inde redundare se vidisse affirmat, praesertim diaeta parca, venaesectionibus saepius reiteratis et hydrargyri usu. Haec, ratione certa ad constitutionem aliasque conditiones adhiberi debere, jam patet. — Notatu vero dignissimum, quod affert Beyer 182) gravidas nempe syphilide affectas, quibus in nosocomio Caritatis Berolinensi hydrargyrum muriaticum mite porrigebatur, infantes debiles, parvos peperisse, nec vero eas quae hydrargyri muriatici corrosivi ope sanatae erant. Attamen certissime est deneganda ejus quaestio: an haec methodus porrigendi hydrarg. muriat. mite per graviditatem, pensare possit partum arte praematurum? — Potum quem Lehnhardt proposuit hic memorasse sufficiat.

Quaerendum tamen etiam an non et aliud inde evadere possit et matri et infanti damnum, uti morbi cachectici et hydropici praesertim? 183)

---

176) Anleitung etc. II. Th. p. 325.

177) Etwas über die Erleichterung schwerer Geburten. Würzburg, 1804. 8.

178) Ueber die Erleichterung schwerer Geburten, vorzüglich über das ärztliche Vermögen, auf die Entwickelung des Fötus. Jena, 1804. 4.

179) Versuche und Beiträge geburtsh. Inhalts. Leipzig, 1806.

180) Entwurf der Geburtsh. §. 743. — Handbuch der Geb. 6te Aufl. §. 504.

181) Lehrb. d. praktischen Entbindungskunde. 3te Aufl. §. 572.

182) Bemerkungen über syphilitische Ansteckung, in Hufeland's Journal. 1821. September. p. 114.

183) cf. Osiander l. c. II, 2. p 479. Infans, hydrocephalo affectus, hora post partum quinto, mater die quinto puerperii obiit.

An partum praematurum violentum (frühzeitiges Accouchement forçé) nunc quisquam velit adhibere ob pelvis spatium coarctatum, dubitandum, cum mitius nunc remedium habeamus, partum arte praematurum per ovi paracentesin vel spongia pressa incitatum. Jam Gumprecht 184) ita hanc tractavit rem, ut de ea vix verba sint facienda. Hac de causa vero illum nunquam esse adhibendum, persuasum habeo.

Abortum artificialem, quem Cooper, John Barlow, Burns, Mende imo Hull proposuere et suasere ex omni parte respuendum et aspernandum habeo, cum eo infans matris vitae sacrificetur; lex vero religionis jam praescribit: „Ne occidas.“ 185)

§. 27.

Libere fateor difficillimum me habere dijudicatu quo sit gradu angustiae pelvis adhibendus arte praematurus partus. Vidimus exempla infantum viventium, vix asphycticorum, qui magnitudine normali forcipe sunt educti e pelvi, cujus conjugata tres tantummodo pollices aequabat, tamen non raro etiam evenit, ut matres post talem operationem perirent, et ipse memini pelvim me vidisse, vel potius duas forsan, quarum ligaturae in partu, forcipis ope soluto discesserant; mortuae erant matres febre s. d. puerperali. Ad salutem igitur parturientium forcipis usus nostra operatione coërceri potest, et haec adhibenda non nisi in pelvi minimum digitos tres cum dimidio aequante. — Sectio s. d. caesarea contra illud est remedium, si verbo uti liceat, quod in pelvi maxime coarctata adhibendum est. Hanc, ut nunc ad eum indicationes sunt positae, nunquam partus arte praematurus obtrectabit aut obscurabit; in iis vero casibus omnibus, qui forcipem non concedant, nec absolute gastrohysterotomiam requirant, quorum causa perforatio, synchondrotomia adhibitae sunt, et remedia foetus incrementum inhibentia, partus arte praematurus illud erit remedium mitius, quo spe servandae matris et prolis ducti, uti possimus; ita quidem, ut infantis vita illi matris non sacrificetur, neque ad hunc servandum ista in periculum arcessatur. — Quibus autem pelvis sub conditionibus ceteris praeferendus sit operationibus, et quae sint infantis et matris pericula inde pendentia, infra commemoranda sunt.

§. 28.

Metrorrhagia non dubito quin inter indicationes ad partum arte praematurum sit enumeranda. Erat illa, quae primo medicorum ad partum violentum animos im-

---

184) Hamburgisches Magazin f. d. G. I, 2. p. 110.

185) cf. Hufeland Vom Rechte des Arztes über Leben und Tod, in dess. Journal d. pr. H. 1823. 1s Ssück. p. 13.

pulit; est vero etiam quae et nunc praesertim hanc agendi rationem in usum vocat. Mitiora tamen jam ex longo tempore invenire studuerunt medici, quibus periculum averterent. Jam Mauriceau 186) tunicas ovi dirumpendas suasit, licet non statim pedibus educatur infans solito more, et ipse felici successu hac usus est methodo, cujus rei in observationibus perplura affert exempla. Dionis 187) idem dedit consilium, quod serius Puzos 188) magis adhuc commendavit. Baudelocque haud minus his assensit 189), cum quam mitissimam agendi rationem ad partum promovendum suaderet; ita quidem ut uteri contractiones frictionibus abdominis manu vel pannis tepidis et tangendo oris uteri labia incitaret, his vero frustra adhibitis velamenta ovi perforaret et aquarum effluxum cieret.

Annuendum esse huic proposito, quis est qui negare velit? tamen certe regulae generales vix afferri possunt, quando sit adhibenda haec methodus, cum et aliis remediis ad haemorrhagiam sistendam non careamus. Ita Leroux 190) praesertim commendat ut vagina linteo effarciatur (Tampon) et Alphonse Le Roy 191) ita judicat: „Puzos, en conseillant assez-hardiment de percer les eaux, n'avait d'autres vues que la contraction de la matrice, qui est la suite de cette operation, et la cessation de la perte, et il la conseille même dans les cas de pertes, qui arrivent avant terme. Mais un grand nombre de femmes sont péries par l'effect de cette même pratique.“ —

Adhibenda vero haec et remedia interna et venasectiones revulsoriae mihi videntur, si adhuc est medendi haemorrhagiae atque partum inhibendi praematurum spes. Cum ab atonia quodam, a solutione partis modo placentae pendeat haemorrhagia, cum uteri contractio unicum videatur remedium, ovi paracentesin instituendam esse putem. Quod quidam vituperantes objecere, ab haemorrhagia interna multa esse timenda, cum pars praevia effluxum sanguinis prohibeat, nullius est momenti, cum, haec si accidant, acceleratio partus versione vel forcipe semper restet. Recte vero Reisinger 192) monuit, lentiori illa contractione inhiberi haemorrhagias post partum

---

186) Traité des maladies etc. Livre II. Chap. XXVIII. Ed. VIme. p. 335. — Aphorismes No. LIII. et LIV. p. 535.

187) Accouchemens de Dionis. Liv. III. chap. XXIV. p. 262.

188) Traité des Accouchemens contenant observations sur la pratique de cet art. Corrigé et publié par Morisot Deslandes à Paris 1759. 4. p. 323.

189) Anleitung etc. Bd. I. p. 547.

190) Beobachtungen über die Blutflüſse der Wöchnerinnen und die Mittel sie zu stillen. A. d. Fr. Königsberg, 1784. p. 232.

191) Leçons sur les pertes de sang. p. 45.

192) l. c. p. 252.

cum partu violento utero citissime evacuato, ejus fundus nondum satis sit contractus foetu jam edito.

§. 29.

In Anglia primum proposuerunt medici, extremis graviditatis mensibus partum arte maturandum esse, si gravida eximia debilitate vel aliis morbis vexetur, quae sanationem non nisi graviditate finita admittant; imo eum commendaverunt cum morbi gravidis peculiares (v. c. vomitus continuus) adessent, quae et matri et foetui mortem minarentur.

Medici quidam hoc propositum Dr. Haighton tribuerunt, quod vero dubitat Reisinger 193), cum illum in praelectionibus haec edixisse narret: Difficile posse discerni de eo, an partus arte praematurus ob vomitum vehementem, ad ultimos usque graviditatis menses perdurantem, sit incitandus; cum enim partum omnem haemorrhagia concomitetur necesse sit, verisillimum esse, hanc metrorrhagiam a foemina tali modo debilitata non ferri, et virium prostrationem jam permagnam esse debere, prius quam tale quid interrogari possit. — De vomitu gravidarum Dr. Haighton solummodo hic verba fecit; tamen mirandum, illum timere haemorrhagiam, cum compertum sit, hanc vix unquam in partu arte praematuro oriri (nullum saltem hujus notum est exemplum), et si oriatur facilius certe et melius illam ferat aegrota priore tempore, quam cum morbo magis adhuc fuerit debilitata.

Dr. Merriman 194) testatur chirurgum quendam anglicum operationem his in casibus iterum atque iterum commendasse, ac hisce quidem commotus: Infantis salutem primum esse partus arte praematuri finem in pelvi coarctata; cum vero matris salus in morbo quodam peculiari, etsi pelvis non justo sit angustior, similia requirat remedia, quae sine infantis periculo adhiberi possint, remedium sane satis superque esse absolutum et defensum. — Annotat Merriman temere esse acceptum, matris salutem hanc requirere operationem, ita ut illud, infantis vitam illa non in discrimen vocari. Finiri teste experientia tales status morbosos semper ante graviditatis finem, nec quidquam historia ab illo chirurgo allata esse probatum. Notum esse partu praematuro periculum morborum acutorum difficillimorum valde augeri, qui igitur arte partum ante terminum legitimum incitare vetent. Porro, non esse sine periculo partum arte praematurum etiam in gravidis plane sanis, quanto magis in aegrotis? Nec infantes eo semper servari constare, qua de causa admittendum tantum esse, conditionibus infanti

---

193) l. c. p. 242.
194) Medico-chirurg. Transact. Vol. III. p. 139.

longe inimicioribus, imo absolute lethalibus. His etiam homines scientia et conscientia expertes facillime abuti posse, qua de re partum arte praematurum solummodo ob pelvis angustiam esse instituendum.

Ulsamer 195) haec habet: „Inter momenta demum, quae partum praematurum artificialem indicarent, status aliqui mulierum morbosi, qui praeter graviditatem alia causa non excitantur sustentanturque, et vitae discrimen possunt adducere v. g. tussis continua, vomitus continuus ab Anglis recensiti sunt. Si vero partus praematurus eo tendit, ut mater et infans simul serventur, certos nos in his casibus antea esse opporteret, haec symptomata cessare ante partum non posse, neque cunctis reliquis remediis adhibitis esse cessatura. At quis dignoscendo huic par erit? Nonne saepius molestissima symptomata v. g. vomitum vehementiorem exeuntis graviditatis tempore prorsus evanuisse, gravidasque per totam graviditatem vomitu vexatas, licet alimenti perparum ceperint, infantes tamen egregie sanos enixas esse, observatum est? Eo mulieris cujusdam pertinet exemplum a Cel. d'Outrepont in praelectionibus commemoratum, quae totam per graviditatem septem nonnisi pruna quotidie sumsit, et cum octavo esset fruitura, infantem maturum vivum peperit, integra gavisa sanitate. Praeterea communis docet experientia, partu, qui decurrente morbo universali praemature accidit, infelicem hujus exitum facile afferri. Quam iniqua omnium morborum acutorum prognosis, tam mala est haemoptyseos vomitusque cruenti, quibus vigentibus evenit abortus. Hoc ita praesagium cum non solum matri morbo afflictae, verum etiam vitae infantis infaustum sit, patet in istis gravidarum aegritudinibus a partus praematuri artificio esse abstinendum."

Quater usque huc propter morbos gravidarum partus arte praematurus est institutus:

1. ab illo jam commemorato chirurgo, cui Dr. Merriman id tribuit, ut primum hoc consilium ceperit. Ille ob tussim acerrimam, tanta ventriculi sensilitate comitatam, ut et opium in substantia porectum ejiceretur vomitu, partum incitavit. Absorbentibus, stomachicis, medicaminibus amaris et aromaticis, opiatis frustra adhibitis, item linimentis, fomentationibus atque vesicantibus, morte propinqua gravida existimata est. Sex hebdomades ante partus legitimum terminum partu arte praematuro procreato, infans vivus elicitus, mater vero sanata fuit.

2. et 3. Bis uti cum Reisingero praesenti communicavit medicus Londinensis spectatus et honestus, exitus erat infelicissimus; matres enim mortuae sunt, et quidem cum nimis tarde instituta esset operatio, gravidis antea jam fere exstinctis.

---

195) Diss. de partu praematuro a. legit. procur. p. 60, §. 52.

4. Ill. de Siebold hydropis universalis causa partum praemature excitavit, cujus hic fusius liceat afferre historiam:

Guilielma V., triginta tres annos nata, undecim annos textori nupta, de statu valetudinis in pueritia fere nihil enarrare, nec indicare potest, quo anno catamenia prima vice apparuerint Ceterum ex his quae obscure protulit, concludi potest, eam acutos huic aetati proprios morbos exanthematicos, et inter hos, variolas feliciter superasse neque etiam gravioribus moliminibus ad menstruationem vexatam fuisse; purgationes menstruales normali typo semper intrasse et, quoad qualitatem et quantitatem regulares, nunquam nisi in graviditate cessasse. Vigesimo aetatis anno primum impraegnata justo termino partu levi infantem maturum, sanum edidit. Per annum alium infantem nutrivit, ac paulo post marito nunc etiam viventi nupsit. Hoc in matrimonio octies peperit, ultima vice quidem gemellos; infantes semper legitimo tempore sunt editi, omnes sani, quorum vero sex postero tempore mortui sunt; partus omnes facillime sunt absoluti, nec in ullo quidquam memoratu dignum evenit, et puerperia semper erant exoptatissima.

Sub finem mens. Septembris a. 1821 iterum se concepisse credidit, et die duodecima m. Februarii a. 1822 primos infantis motus percepit. Primis m. Martii diebus affectio pectoris eam aggressa est, febri comitata et ita quidem ut quavis die semel vel bis horrore gravi infestaretur, quem calor auctus secutus est. Per hebdomadem ei a medico medicaminibus internis porrectis, sanata est, venaesectione non in usum vocata; per quatuordecim dies nunc bene valuit, et nihil aderat, quod eam impediret, ut res domesticas administraret.

His praeterlapsis duabus septimanis tussi sicca vexata est, ex qua causa medicum hujus urbis publice ordinatum in auxilium vocavit, qui ei ad debellandam tussim pulveres, quorum partes constituentes vero non erant explorandae, praescripsit. Dein, uti opinabatur ex horum usu, pedes una nocte oedematosi praeter modum intumuerunt, ac mox oedmea in crura et abdominis integumenta diffusum est; eoque tempore respiratio jam fuit difficilis.

Die 24. m. Maji 1822 primum auxilium instituti policlinici medico obstetricii, quod sub auspiciis Ill. de Siebold floret, imploravit. Hoc vero in statu eam invenimus: pedum oedema permagnum, illos frigidos, labia pudenda majora et abdomen oedematosa intumescentia distentum; fluctuatio ascitam declaravit; facies et brachia emaciata. Maxime vero questa est de dyspnoea, qua de causa non alio situ, nisi erecto respirare posset, praeterea de anxietate et respiratione difficili, brevi, stertorosa Media nocte saepius insultibus asthmaticis incessitur, qui eam cogunt ut e lecto surgat, et corpore prono, capite brachiis mensae impositis niso, reliquam noctis partem transigat. Tussi praeterea molesta laboravit, qua multum muci sanguinei exscrevit. Cibum sumere timuit, quia eo sumpto oppressio semper sit

aucta; sitis permagna; urinae secretio minuta, lotium rubrum, sine ullo sedimento. Pressus abdominis auget spiritum angustum.

Exploratione obstetricia instituta partes infantis animadverti externe non poterant, ob abdomen ex ascita praeter modum tensum, tamen motus infantis in latere dextro umbilicum prope sentire se mulier edixit. Genitalium situs medius, frenulum et perinaeum laesa; vagina humida, ejusque temperatura paulum aucta; portio vaginalis in pelvis apertura media, longitudinis pollicis dimidii, os uteri apertum, ut digiti apex intrare posset; caput infantis praevium fuit. Ex his omnibus patere nobis visum est, illam hydrothorace, ascita et oedemate pedum laborare; quo ad graviditatem eam in fine mensis octavi versari. Rebus sic se habentibus, nisi in pessimo, tamen valde dubio statu esse eam censuimus, cum jam permulta medicamina sine ullo effectu essent adhibita, et quavis nocte mors suffocatoria esset timenda. Ill. de Siebold ei, cum ejus domicilium longe ab instituto esset remotum, resque familiares omnino non aptissimae, receptionem in institutum clinicum obstetricium cui praeest, proposuit; cum vero non statim a familia discedere vellet, primo infusum hb. Digitalis purp. (e scrupulo ad uncias sex cum elaeosaccharo foeniculi ei est praescriptum. Trigesima prima tandem die m. Maji in institutum transferebatur. Status fere idem ac antea descriptus, pedes vero abdominisque integumenta ita ut et labia pudenda majora magis adhuc intumuerant.

De cura ita nobis est visum: unaquaque nocte, uti jam commemoratum foeminae mors erat timenda; inter omnes vero constat et in matre hydropica foetum male nutriri, saepius sub graviditatis finem emori; notum autem infantem saepissime cum matre obire, ac raro gastrohysterotomia post matris mortem servari. Non desunt exempla foeminarum hydrothorace adfectarum, quae in partu infantis maturi e nisu mortuae sunt. Saepius videmus a graviditate sola affectiones hydropicas ortum ducere, ex eaque ipsa et oppressiones asthmaticas oriri. Ita in nullo alio remedio spes nobis posita esse videbatur, nisi in partu ipso et quidem mox procreando, cum et saepius jam observatum, crisi in puerperio sanari hydropem, (hujus rei novissimo tempore exemplum memoratu dignissimum observare nobis contigit) et partu finito remedia validiora adhiberi posse.

His commotus in hac foemina partum arte praematurum, per paracentesin ovi incitare constituit Ill. de Siebold cum servandi infantis omnis spes in hoc posita esset. Die igitur primo mens. Junii (graviditatis 149) hora nona matutina ovi tunicae ope instrumenti a Wenzel inventi et ab Ill. de Siebold in melius mutati perforatae sunt. Aquarum circiter unciae duae profluxerunt, totidem postea in lecto. Aqua effusa protinus situ reclinato perdurare potuit, et multo melius se valere affirmavit.

Ob labiorum pudendorum externorum tumorem fomentationes e speciebus aromaticis, et praeterea hi sunt praescripti pulveres:

R. Extr. myrrhae aquos. grana duo
— hyoscyami
Sulph. stibiat. aurant aa. granum dimidium.
Elaeosacchari foeniculi scrupulum.
M. fiat pulv. Dent. tal. dos. No. VI. S. Tertia quaque hora pulvis sumendus.

Per diem bene se habuit; spiritum facilius duxit; situm resupinum ferre potuit; tussis mitior, muci permultum sed sine labore exscreatum. Exploratione prima nocte instituta, nil mutatum invenimus, nisi abdomen demissum magis, uti extremis graviditatis diebus accidere solet. Dolorum ad partum vestigia nulla adfuerunt, neque minimos quidem se percepisse affirmavit. Prima luce vero a somno, quo aliquantulum post longum tempus primum fruebatur, doloribus tensivis in regione sacra ortum ducentibus et ad genitalia usque se provehentibus est expergefacta. Raro repetuntur et hora quinta se tandem his vexari indicat. Statim exploravimus, et invenimus vaginam valde turgidam, calorem in ea auctum, uteri portionem vaginalem vix lineas duas aequantem in apertura pelvis media, os uteri digitum cum dimidio apertum, caput situ primo normali, fonticulo minori ad foramen ovale lateris sinistri spectante, in eadem fere apertura praevium. Dolores ad partum regulares habendi erant; intervallo horae circiter quadrantis repetiti, quavis vero uteri contractione aquarum paululum profluit, ac unaquaque finita melius se habere parturiens profitetur. Hora sexta os uteri jam ad pollicum duorum magitudinem dilatatum, portio vaginalis ex toto fere, uti in multipara evenire solet, erat deleta. Citius nunc dolores redeunt; oris uteri dilatatio quovis dolore augetur, caput bene prolabitur, sic ut paulo ante horam septimam exitui pelvis proximum, inter genitalia externa jam oculis percipi potuerit, et ita hora septima — vigesima secunda post velamenta dirupta — infans vivus est editus. Mox et arteriae funiculi umbilicalis ictus desinit, ligatur bis funis et horae minutis quindecim post secundinae in vaginam jam propulsae, educuntur. Haemorrhagia vix ulla adfuit, et aquarum secundarum paululum tantum effluxit.

Non e nisu ad partum, qui exiguus tantummodo erat, sed ex evacuatione magis uteri, et e sublato pressu et diaphragmatis tensione, nec non e sanguinis, in pulmones majori impetu irruentis, circuitu nunc mutato, pendere videbatur pulsuum, antea debilium et parvorum, frequentia praeter modum aucta, cum inspiratione difficili, brevi, oppressa. Porrigebantur ei spiritus nitrico-aetherei guttae XX et cyathus jusculi carnis, quibus factum est, ut remota oppressione mox in lectum posset tranferri.

Infans, puellula, omnia immaturitatis prae se tulit signa. Lanugo ex parte adhuc aderat, capilli rari et breves; hiabant fonticuli et suturae; un-

gues molles adhuc vix ad apicem digitorum pertinebant, et immaturum veterascentes vultus et facies significant, et cutis ex omni parte rugosa. Ponderis medicinalis aequabat libras sex et dimidiam, ambitus capitis erat pollicum decem cum dimidio (mensurae Parisiensis), diametros transversa duorum cum dimidio, longa erat pollices tres cum lineis octo, diagonalis pollices tres et lineas undecim, humerorum latitudo tres aequavit digitos cum dimidio, pelvis duos cum lineis decem, infantis longitudo erat quindecim pollicum cum dimidio. — Placenta formam praebuit rotundam, ponderis med. erat sesqui librae; excentrice ovi velamenta erant dirupta; funiculus umbilicalis longitudine quindecim pollicum et dimidii Paris., duos a margine digitos erat insertus.

Hora undecima haemorrhagiam passa est, quae quoad quantitatem sanguinis amissi non levis erat, tamen prius quam remedia hanc oppugnantia adhiberi potuerant, sponte cessavit. Exploratione nulla hujus causa investigari potuit, nec dubitandum hanc a paralysi ortum duxisse. Abdomen vero tumidum erat, nec sub tactu sine dolore, qua de re inunctiones hae sunt praescriptae:

R. Olei hyoscyami, unciam.
Tincturae opii simplicis, drachmam.
MDS. Ad inunguendum altera quaque hora abdomen.

praeterea vero ad sublevandam expectorationem, cum tussis valde eam vexaret, hic ei praescriptus est linctus:

R. Aquae lauro-cerasi dr. unam cum dimidia.
Mucilagin. gmi arabici
Syrup. foeniculi aa. unciam unam cum dimidia.
Spirit. nitrico-aether. scrupulum.
MDS. Subinde cochlear sumatur minus.

Genitalium tumor speciebus aromaticis fomentabatur, uti prius.

Hora sexta vespertina multo melius valebat, ac hilaris fortunatissimam et beatam se judicavit. Situ enim horizontali perdurare potuit absque omnibus molestiis, tussis paululum modo eam turbavit; facillime sputa albescentia, in aqua natantia excernebantur. Cruris dextri oedema plane evanuerat, pedum, cruris sinistri et genitalium multo minutum erat; pulsum pleniorem, minus frequentem, fortiorem invenimus. Infans bene valuit jamque alius mulieris, ei in nutricis locum datae, mammas suxit.

Die tertio Junii. Placidum puerpera nostra somnum ceperat, ipsa valetudinem suam laudavit. Situm bene tulit resupinum, tussis mitis, facillime mucus excretus, magna etsi quantitate. Febris fere nulla. Tumor artuum oedematosus minutus, respiratio sine omni fere difficultate. Ascites non adauctus, hydrothoracis symptomata, tussim si excipias, fere omnia defuerunt.

Lochia rite fluxere; paulum lactis mammae continuerunt. Urinae multum missum, turbidae, brunneae.

Per omnem diem bene etiam valuit, praesertim sitis antea molestissima eam vexare desiit.

Die quarto Junii. Iterum de anxietate, de respirationis difficultate et de tussi queritur; situm horizontalem non ferre, ac sedens in lecto tantum perdurare potest. Abdominis volumen praesertim inferiore parte auctum cum pedum oedemate. Tacta dolorem in regione inguinale queritur. Tussis minuta quidem, quo ad frequentiam insultuum, tamen non sine magna difficultate sputa excernuntur. Pulsus invenimus parvos et frequentes, in genis ruborem circumscriptum, uti in phthisicis animadvertimus. — Sub vesperem febris non est adaucta. — Infans bene valuit.

Die quinto Junii. Vires magis magisque decedere videntur, alio situ nisi erecto spiritum ducere nequit. Manus sinistra hac nocte etiam sicut facies oedematosae intumuerant; dyspnoea permagna, sitis iterum aucta. Pulsus ceterum uti die hesterna. Lochia cruenta adhuc fluunt, parca tamen; lactis paululum quod mammis inerat, evanuit alvo clysmate soluta. Haec vero sunt ordinata:

R. Rad. valerian. minoris drachmas duas
fiat infusum unciarum sex
cui adde
Liquor. ammon. succinici drachmam
Spirit. nitrico aeth. drachmam dimidiam.
MDS. Altera quaque hora cochlear capiatur majus.

Postero die, sexto m. Junii status idem, excepto lochiorum fluxu; nam lochia jam aderant alba.

Cum partus nunc solutus esset, aegrotae cura vero non ad nostrum spectaret institutum, clinico, cui Ill. Berends praeest, tradita est, cum praesertim spatio careremus. 196)

„Ascites facile cognoscebatur; in abdomine enim valde tumente fluctuatio facillime animadvertebatur, et praeterea in ejus latere sinistro, in ossis ilei regione tumor erat, qui, si aegrota ad latus dextrum cubaret, ex illis partibus non sequebatur, sed abdominis integumenta ita impleta erant aqua, ut non distincte appareret. Praeterea pedes ambo atque manus sinistra aqua tumebant, sicuti etiam signa hydrothoracis aderant nonnulla. Huc pertinent: manus sinistrae oedema, praecipue in dorso, labiorum color coeroleus, tussis, sputa spumantia sanguine interdum mixta, dyspnoea permagna, nam plerumque sedens tantummodo spiritum ducere potuit, oedema fa-

196) Quae nunc sequuntur, verbotenus nobis benevole communicata sunt ex-annalis instituti clinici medici.

ciei praesertim autem palpebrarum. In urina perpauca erat sedimentum latericium; sudor fere nullus animadvertebatur. Mammae erant laxae, attamen e sinistra parum lactis effluebat. Lochiorum albescentium fluxus non minus erat parcus. Sitis atque calor deficientes febrem adesse nullam docebant, pulsus erat frequens, neque debilitas, morbi diuturnitate atque partus laboribus haud dubie orta, deerat. Causae morbi occasionales latent, si huc partus crebros atque permultos numerare nolimus. Ob debilitatem jus praescripsimus carnis et panem album, porro potum e radice Salep cum succo citrino. Medicamenta proprie sic dicta non accepit, quia ignorabatur, an vespertino tempore febris adesset. Hanc autem invenimus, auctus enim erat pulsuum numerus, sitis, calor et dyspnoea, ergo necesse erat praescriberemus remedium, quod febrem simul asthenicam atque hydropem impugnaret, neque aegrotam nimium irritaret, erat enim puerpera, ideoque inflammationibus opportuna. Hanc ob causam Liquorem dedimus Ammonii acetici. Nox erat quieta. Vesicae unguento cantharidum, partu superato excitatae, purulentae erant. Diebus sexto atque quinto ante Idus Junii aegrota satis bene sese habuit. Aquae copia diminuta erat, febris animadvertebatur nulla, ita ut aegrota ipsa statum suum laudaret. Liquor Ammonii acetici sudorem quidem, sed et taedium provocabat, quapropter in Aqua Menthae crispae datus atque huic potui Aether aceticus admixtus est. Praeterea etiam alvus fluere coepit, sed adhibito clystere e Seminibus Lini parato, mox retinebatur. Lac, atque interdum etiam Lochia retinebantur. Noctu saepe tussivit, attamen sputa ejecit nulla, quam ob rem praeter Liquorem Ammonii acetici, Gummi arab. solutionem cum Liq. Ammon. anisato et Tinctur. opii crocata accepit. Die quarto ante Idus Junii hora circiter quarta post meridiem dyspnoea ita est aucta, ut catarrhi suffocativi nomen mereretur, sensim autem status ejus melior est factus, accepit enim Liquorem Ammon. anis. cum Tinct. opii crocata, ejusque pedes, manus et faciem aqua et aceto calidis lavimus. Sputa sanguine mixta inde ab hoc tempore ejecit. Aqua ubicunque valde erat minuta, sed mamma sinistra tumens dolebat, praeterea internae etiam partes magis erant affectae, quapropter etiam spiritum saepius et majori duxit labore. Pulsus animadvertebantur frequentes atque debiles. Mox facies et manus dextra intumescebant, omnino debilitas magis erat conspicua, atque tussis vehementior. Quam ob rem accepit infusum Senegae et Serpentariae cum spiritu muriatico-aethereo et Gummi arabico, ne Senega diarrhoeam provocaret. Ad potum e radice Salep vinum admiscebatur. Vespere pulsus erat plenior atque aegrota minus debilis. Nox inquieta fuit; tussis enim frequens atque dyspnoea somnum pellebant, quam ob rem subinde Tincturam opii crocatam accepit. Mamma sinistra minus tumebat, eo autem magis aliae corporis partes, praecipue sinistra faciei. Tertio ante Idus Junii aegrota valde erat debilis, ita, ut semper dormiret. Tussivit raro, ideoque per noctem bene quiescebat. Postero die sitis maxime erat

aucta; pulsus frequentes ita erant debiles, ut vix animadverti possent. Facies, manus et pedes erant frigidi, aegrota autem se optime valere dixit. Hoc modo per totam diem se habebat, nam vespero demum, hora otava leniter obiit.

In corpore dissecto haec inveniebantur: Sacci pleurae, praecipue autem dexter, magna aquae copia impleti erant, attamen parum aquae in pericardio. Cor, si ventriculum dextrum, aliquomodo dilatatum excipias, nihil praeternaturale ostendit. Pulmones ambo valde erant aqua impleti, omnino autem validi, praeter sinistrum, qui ubicunque partibus vicinis adhaerebat. In abdominis cavo omnia erant integra, aqua excepta, cujus copia ne tanta quidem erat quantam putavimus. Pondus habebat circiter librarum quinque aut sex. In latere abdominis sinistro Hydrops erat peritonaei, aqua enim in tela cellulosa intra tegumenta et musculos, quasi sacco inclusa stagnabat. Hepar, atque intestina nullo modo erant mutata. Capitis cavum nihil notatu dignum praebuit, ideoqne non est apertum." —

Infans in dies accrevit, et per tres adhuc menses in instituto retinebatur; tum variolis vaccinis felicissime superatis, sanus patri traditus est. —

Quamquam, ut inde elucet, tres matres obierunt, tamen non ex earum morte causa rejiciendae hujus indicationis intelligitur; cum pateat mortem, non a partu fuisse conflatam neque acceleratam. Infans vero nostro in casu servatus est; partu non instituto praematuro verisimillime matre mortua periisset, antequam sectio s. d. caesarea institui potuisset. Bis hunc eventum ipse observavi.

§. 29.

Inter contraindicationes partus arte praematuri enumerantur:

1) Infans mortuus (vid. §. 16). Non hic adhibendus videtur, cum partus jam natura mox solvendi adsint signa, nulla vero quae damnum matris probent. Tamen miror in compendiis E. de Siebold (II. §. 518) et de Froriep (§. 571), hanc contraindicationem his esse prolatam: „ein todtes Kind, wo man natürlich die Perforation vorziehen würde." Infans eo tempore jam mortuus, quo de partu arte praematuro cogitandum esset, vix ac ne vix quidem perforationem requiret, et eo minus cum notum sit collabi caput, minui igitur ejus ambitum, nec augeri uti in partu viventis ab intumescentia. Cum in tali casu perforatio in usum sit vocanda, partus arte praematurus per se jam contraindicatus est, cum nulla in eo posita sit spes servandae vitae infantis. 197.)

---

197) Preller etiam in Diss. p. 25. de morte exspectanda foetus, ut de indicio contra p. a. p. loquitur. „Nulli medico obstetricio in mentem veniet, p. p. ibi perficere, ubi foetns mors prospici potest, quod quidem esset operationis abusus, quin auxilia alia melioraque nobis sunt, infantem

2) Matris morbus gravis, qui prius sit removendus. Inter hos bene esse discernendum, cum ipse morbus requirere possit partum arte praematurum, infra pluribus adhuc erit commemorandum.

3) Pelvis conditio ea, quae et transitum infantis vivi septimestris non permittat (conjugata duobus digitis cum dimidio minor).

4) De tempore graviditatis nihil certi.

5) Graviditas gemellorum, in qua serius erit adhibendus, cum gemelli minores et imbecilliores esse soleant. — Sed quis certo gemellos praedicere poterit? —

Praeterea etiam huic operationi non faventes eamque aspernantes plura objecerunt, et primus quidem G. W. Stein jun. 198) verborum contumeliis non solum operationem, sed etiam medicos germanos, qui adhibere eam velint vel adhibuerint vituperare et deridendos praebere studuit. Cum tamen non pateat, utrum de partu arte praematuro, an de partu violento verba faciat, neque eam agendi methodum, nec indicationes novisse videatur, praetereunda esse, quae attulit puto, etiamque ea quae de eadem re nuperrime monuit. 199)

Jörg 200) haec habet: — *a*) pelvis angustiam fide mathematica vix compertam haberi posse in foemina viva, gravida praesertim; *b*) foetus magnitudinem non posse explorari; *c*) magnam partus difficultatem in oris uteri sphinctere positam esse; *d*) graviditatis tempus, foetus vitalitas indicari certo non posse; *e*) non esse compertum, quo tempore post paracentesin ovi partus succedat; *f*) partum omnem praematurum matri esse nociturum.

---

sine matris damno e genitalibus removendi. Hoc nimirum casu praeterita graviditate legitima, in partu incipienti, ac si transitus capitis foetus non fieri possit, perforatio instituenda esset.“ Sed oblitus est, vix ad legitimum usque graviditatis terminum, foetum septimo forsan mense emortuum in utero remanere, nec minus post mortem accrescere adhuc, ita ut capitis magnitudo perforationem requirere possit.

198) Frühgeburt für Kaisergeburt, in dessen: Annalen der Geburtshülfe überhaupt und der Entbindungsanstalt zu Marburg insbesondere. Drittes Stück. Leipzig. 1809. p. 33. — p. 35. „Aber möchten sie (die Engländer) auch selbst unsere Universitäten für Ställe halten wollen, wo Minerva ihre Maulthiere füttern liefse, so sind wir doch bereit — ihnen ähnlich seyn zu wollen — und hatten wir je einmal den Respekt bei Seite gesetzt, und heute z. B. von Anglomanie und Steinkohlendampf gesprochen — so machen wir es morgen, mit einer Frühgeburt wieder gut“ — p. 40. Drum, ich habe immer den Gedanken nicht unterdrücken können, dafs es den Engländern so wenig Ernst mit der Frühgeburt für Kaisergeburt gewesen sey, dafs sie uns vielmehr blos zum Besten hatten haben wollen; — es ist nicht anders: sie haben sehen wollen, was ein Deutscher mit der Cocosnufs anfange — — — und es ist ihnen geglückt! —

199) Die Lehranstalt der Geburtshülfe zu Bonn. Elberfeld, 1823. p. 131.

200) Ueber die künstlich veranlafste Frühgeburt, in dessen Schriften zur Beförderung der Kenntnifs des Weibes und Kindes im Allgemeinen und zur Bereicherung der Geburtshülfe insbesondere. 2r Th. Leipzig, 1818. p. 290 sqq.

Beatus Osiander 201) his ex causis operationem vituperavit: quia tunicarum ovi perforatio in expedito esse nequeat, ob oris uteri os sacrum versus situm, nec non ob spasmum in illo ex instrumenti tactu ortum; timendam esse laesionem et partium genitalium et praesertim vasorum ab acu triquetro; ita etiam facillime infantis caput praevium laedi posse; incertum esse partum effusis etiam aquis genuinis; damniferum gravidae; infantem emori, ac si partus infantis vivi mox sequatur; artis auxilium saepius requiri ob oris uteri crassitiem, cum etiam vivus edatur; raro autem accidere, ut partus septimestris per plures adhuc hebdomades vivat; timenda esse tandem pericula a secundinarum partu pendentia.

Reisinger 202) jam fusius haec tractavit. Symptomata enim temporis graviditatis non sunt adeo dubia, si omnia colligas; qua ex re, etiam tempus, qua instituatur, facilius determinari potest; quod Baudelocque, Bernstein, Joerg et Gardien inter opprobria nominant, uteri partis inferioris explicationem et extensionem nondum perfectam, his defenditur, quod tunicarum punctione partus incitatur solummodo, nondum vi perficitur; contraindicationibus vero non adnumerari potest partus aquis emissis retardatio, cujus quidem afferunt exempla Mauriceau, Denman, Leighton, Burns, Pentland, E. de Siebold et alii, cum hoc rarissime tantum eveniat, et semper denuo repeti possit tunicarum diruptio; falsum fere id dicere possumus, quod de hac encheiresi timent Dubois et Gardien, matri nempe ex illa morbos impendere.

Infelicem quidem successum quo ad infantes ejus ope natos, operationem habuisse, negari nequit; attamen etsi quatuor tantum inter quinque porro vixerint, praeferendus esse videtur partus arte praematurus, si recordari velis, hoc omnes ceterum certe in partu interituros fuisse, nisi hoc adhibito auxilio; pelvis spatium non certo constitui posse dicunt; difficillimum hoc esse, negari nequit: tamen, uti mihi videtur, fere ad lineam usque dimidiam hoc possumus tuto praedicere, num infantis vivi, maturi transitus fieri possit per pelvim, nec ne, an vero requiratur propter hujus angustias gastrohysterotomia; vidi enim in instituto obstetricio, cui praeest Ill. de Siebold pluries mensurari pelvis spatium, et non defuit occasio videndi, nos ne de quadrante pollicis quidem deceptos fuisse. Quamquam infantis in utero magnitudo mensurari non possit, tamen raro peccabimus, cum ad vitalitatem magis respiciamus infantis, ex eo terminum aperiendi ovi constituamus et semper maximas ponamus capitis diametros. De situ vero infantis transverso vel obliquo prioribus mensibus infra adhuc quaedam erunt adjicienda.

---

201) Handbuch der Entb. II, 2. p. 493.
202) l. c. p. 122 sqq.

Quo ad ethica praecepta permittendam esse hanc operationem non dubito, cum minus etiam damnum matri et infanti ex ea oriatur, quam e ceteris agendi rationibus, quae tum essent adhibendae; ultra fines vero hujus scriptiunculae foret afferre ab Reisingero 203) perbene jam tractata, quae a parte forensi objici possint partui arte praematuro; de abusu vero dicere quaedam, et injuriam medicis et popularibus inferre, idem mihi videtur.

§. 31.

Quae omnes antecedant necesse est operationes obstetricias, et hic debent antecedere, alvi nempe atque lotii excretio ope enematis et catheteris. An opii usus prophylacticus, quem medici Anglici, et inter hos primus Merriman ob frigus gravidae proposuere, sit admittendus, nec ne, experientia edocti discernant. Quamquam etiam opio duas inesse scimus vires, utrasque hic saluberrimas, excitantem scilicet dolores ad partum ac ita illius accelerationem optatu dignissimam adducentem, nec minus frigus et algorem optime mitigantem, uti in febribus intermittentibus experientia docuit; tamen nescio an istius remedii usus in omnibus sit admittendus, cum certissimum illud sit: opium non sedare! ac nil citius, nil facilius aggrediatur puerperas inflammationibus. Hac de causa ejus usus prophylacticus ante tunicarum ovi paracentesin vix admittendus esse mihi saltem videtur; eadem ex causa qua nnnc plurimi chirurgi aspernantur ejus usum ante operationes chirurgicas. Praeterea proposuerunt: balnea tepida, inunctiones portionis vaginalis uteri et vaginae ex unguento Althaeae cum oleo Hyoscyami, injectiones emollientes in vaginam, spongiam decocto herbarum emollientium humefactam vaginae impositam, abdominis frictiones, ad genitalia vapores (?) etc.

Angli gravida ad latus sinistrum, tamquam parturiens, cubante, operationem instituere, incommodus tamen mihi hic videtur situs, qui potius talis esse debet, ut medicus facile ad genitalia pervenire possit, ac nullo modo in operatione facienda inhibeatur, sed et gravidae sit commodus, neque minus talis ut aquae profluentes colligi possint. Cubile ad modum illius, quod de la Motte indicavit ac descripsit, aptissimum, satisfacere mihi videtur, praesertim si pulvinari obstetricio ab Ill. de Siebold invento 204) instruitur, quo fit, ut pulvinari lecto imposito, tunc vero converso gravida (vel nunc post paracentesin ovi parturiens potius) nullo modo surgat vel situm in pulvinari mutet, necesse sit.

---

203) l. c. p. 202-227.

204) Ueber ein bequemes und einfaches Kissen zur Erleichterung der Geburt und Geburtshülfe. Mit einer Kupfertafel. Berlin, 1818. 8.

Paracentesin ovi alii alio modo instituere. Angli primo cathetere usi sunt illo, qui in viris adhibetur, tamen Headly consueto minus incurvatum esse debere putat; Clarke commendat tenuem ad lineam directoriam (Führungslinie) pelvis incurvatum; tamen Merriman, Headly et Wenzel perplures in perforandis tunicis ovi ope hujus deprehenderunt difficultates, isque — nisi in Anglia — nunc vix adhuc in usum vocatur. — Alii specillo (Sonde) longo et crasso tunicas ovi dirumpere studuerunt, quo vero Wenzel uno in casu (l. c. N. XXIII.) haud bono cum successu usus est; Marshal et alii idem instrumentum magis acuminatum commendaverunt; Haighton in praelectionibus catheteris foeminei mucronem crassiorem tamen et magis acuminatum proposuit. Mai suadet cultellum incurvatum elasticum ac vagina instructum, vel acum; alii 205) conditionem tulerunt specilli per catheterem inducendi, nisi hic ad perficiendam operationem sufficiat, qua ratione etiam alii, uti Ley catheteris elastici finem anteriorem desecuerunt, ejusque filo argenteo aperuerunt ovum ac illo remoto aqua per catheterem effluxit. Wenzel instrumentum huic simile invenit ac descripsit 206). Est vero instrumentum acus triquetra longa incurvata, crassitie pennae corvinae. Ill. de Siebold hoc in eum modum mutare studuit, ut specilli magis formam exhiberet, capitulo parvo in fine instructi; huic primo immittitur specillum ejusdem longitudinis, aperturam claudens, ac si ita instrumenti vagina per os uteri intravit, immittitur hoc remoto acus triquetra. Hoc instrumento felici semper cum successu operationem instituit. Immittitur tubulus specilliformis, dirigentibus digitis sinistrae vel dextrae manus duobus, per os uteri externum et internum, tum amoto specillo, mucro tubulo infertur, cujus apice paululum promoto tunicae perforantur ita ut aquae per tubulum prorumpant.

Reisinger 207) catheterem argenteum, elacticum, conicum Francogallorum congruum putat: vel tubulum argenteum incurvatum cum mucrone, cujus vero apex non linea magis exstare debeat; mucro in manubrio annulo instructus, nec non mechanismo illo simili quem et in instrumento invenimus, quod ad velamenta rumpenda Fried proposuit, et in Pharyngotomo.

Ritgen 208) invenit instrumentum ita constructum: Tubus argenteus leniter curvatus 3''', antrorsum tantum $2\frac{1}{2}$''' crassus, apice in fossam 3''' profundam impressus, continet in media hac fossa aperturam 1''' amplam, per quam apex chalybeus $\frac{1}{3}$''' crassus usque ad 2''' supra tubi finem promoveri potest. Tubus est 11'' longus. In

205) The London med. Review and Magazine. 1800. Vol. III. p. 379.
206) l. c. p. 209.
207) l. c. p. 85.
208) l. c. p. 436.

cavo ejus versatur filum argenteum ab altera parte in apicem chalybeum, ab altera in pistillum hermetice occlusum transiens. In hoc est manubrium planum, pistillum impediens, quo minus profundius intret, quam apex chalibeus fili argentei progredi potest; 2'' a manubrio tubi duo alii canaliculi argentei cochlea firmari possunt. Canaliculus a convexa parte tubuli exiens, $\frac{1}{2}''$ longus, finitur in vasculum ovale, vitreum, unciam dimidiam recipiens, pro liquore amnii defluente. Canaliculus illi oppositus circiter 1' et quod excurrit longus, insuper apertus ac planus, ad suctionem. Ritgen quidem non eo sed et Wenzelii instrumento, et specillo sagitiformi quod Cosmus ad Lithotomiam supra symphysin perficiendam commendavit, usus est; Niemeyer autem, teste Preller 209) eo operationem bene exsecutus est.

Cel. Kluge ad partum praematurum incitandum ter ad ovi tunicarum perforationem instrumento Ill. de Siebold usus est; bis velamenta, capite iis proximo, digiti ungue scalpendo perforavit; semel jam partus solutionem tantummodo ovi tunicarum ab interiori uteri pariete ope digiti peracti, secutus est, et primi tredecim post horas ad partum dolores apparuere 210); sexies spongia pressa per os uteri inducta partus praematurus incitabatur. Cel. Kluge spongia utitur cerata, et hujus segmentum pollices duos ad tres longum, et ambitu lineas duas vel tres aequans, oleo vel unguento pomadino illitum, filo bombycino instructum, (quo facilius educi possit) forcipe incurvato, quo in polypis abrumpendis utimur, per os uteri inter velamenta et uterum inducit; vaginae spongiam marinam cylindricam parvam immittit, qua istud retineatur, ac exspectat usque dum hujus ambitus auctus etiam partem uteri inferiorem dilatarit, et ad partum dolores excitarit. His non secutis, de majori (pollices forsan 4 vel 5 longo et pollicis dimidii vel duarum hujus tertiarum partium crassitudine) adhibendo segmento non dubitarit. Remota spongia, nullum aliud auxilium solito fertur in partu. Quod argute et ingeniose ad velamenta dirumpenda invenit instrumentum, cum pars praevia his sit proxima. facile ideo laedi possit, jam in Dissertatione sua Scheibler descripsit et delineavit 211). Laudandum vero id praesertim mihi videtur, quod eo apertura et magna et minima, qualem optaveris, effici potest.

---

209) l. c. p. 37.

210) Ley Londini Reisingero narravit eodem modo etiam Dr. Merriman partum incitasse.

211) Diss. sistens animadversiones de rumpendis velamentis ovi humani, et descriptionem novi, huic operationi dicati, instrumenti. C. tab. aeri incisa, Gryphiae, 1824. 8. p. 24. „Instrumentum cylindricum stanneum, pollicis longitudine, duabus componitur partibus, minore superiore, inferiore majore. Superior pars, octo lineas longa, cavum repraesentat cylindricum, cujus interioris superficiei inferiori et dimidiae parti matrix insculpta est. Inferioris partis, 11''' longae, basis, matrice, qua cum syringis fistula conjungatur, instructa pollicis trientis longitudine, cylindrica cava, dimidii pollicis diametro, continuo, paululum compressa, in cochleam producitur 4''' longam, aeque cavam, matrici superioris partem respondentem. E lacunari plano, quo supra tegitur

Difficile tamen saepius esse instrumentum quodvis in os uteri inducere, si id, uti in primiparis, clausum adhuc est, facile quisquis videt. Hac ratione Brünninghausen, Ill. de Siebold conditionem tulit: nonne spongia pressa os uteri antea dilitari modo quodam possit mitiori, ita ut tubulus facilius intret. — Bis adhibita est ab Ill. de Siebold spongia pressa et sperato quidem cum eventu; Cel. Kluge hac pluries postea, et ea sola quidem, quod jam allatum, usus est. 112).

Praeter haec adhuc instrumentum nondum publici juris factum ad ovi paracentesin inventum est a Cl. Carolo Wenzel, quod epistola tantum amici mecnm communicavit. Simile magis dilatatorio oris uteri mihi videtur; cum vero nihil nisi imago linearis, ac rudis tantum, mihi adsit, de eo vix quidquam edicere possum.

§. 32.

An vero aquae celerius vel lentius sint evacuandae medici obstetricii inter se certant. In unaquaque methodo uti videtur commoda non minimi momenti posita sunt. Dicunt enim qui una vice ac celeriter aquas prorumpere volunt, ut J. Clarke inde etiam partum evadere celerius, simulque minus infantis periculum, qui longo inter aquarum profluvium et partum intervallo facillime emori possit, vel etiam accrescere. Recti aliquid inesse huic opinioni negari nequit, cum experientia doceat, sae-

---

lanceola, ad cujus utrumque latus foraminulo hiat lacunar, pollicis trientem longa, basique 4''' lata prosilit. Partibus duabus cochleae ope in instrumentum unitis, lanceolae, primae partis cavea absconditae, apex lineam ab hujus margine distat superiore. Syrinx, cujus fistulae, in cochleam exeunti, matrice secundae partis, praefigatur apparatus, pistillo accuratius fabrefacto, tenui aluta tecto, arctissimeque inhaerente suetas superet, necesse.

Apertura instrumenti syringi conjuncti superior ad velamentorum partem rumpendam ducitur, pistillumque retrahitur, quo facto vacuo formato velamenta in cylindrum ad lanceolam usque descendentia sponte sua aperiuntur.

Accuratior applicatio sequenti modo fit: Obstetricius medicus indice et medio manus dextrae digito ad locum velamentorum aperiendum appositis, instrumentum, manu sinistra apprehensum ad eundem ducit locum auxiliantibus dictis digitis. Dextra manus, instrumento sinistra leniter ad velamenta propulso, e genitalibus demitur, pistillumque illa retrahitur. Instrumentum, nisi obstetriciam instituturus sis operationem, pistillo praetuso e vagina promitur, operatione autem, e. c. versione, adhibenda, pistillum retractum manet, manusque dextra ad cylindri apicem ducitur, sinistra instrumentum e genitalibus removens, aliqua cum celeritate id a velamentis detrahit. Hoc modo apertura sat magna fit, efficiturque, ut manus eam ad operationem peragendam adire possit." —

212) Placuit F. B. Osiandero, nunc beato, hac de re sequentia afferre — (Handbuch der etc. II, 2. p. 135): „Sollte diesem sichern Ausdehnen in ganz kurzer Zeit das von einem Geburtshelfer neuerlich unternommene Ausdehnen des Muttermundes mit Quellmeiseln von Preſsschwamm, welches mehrere Tage dauerte, um eine gewaltsame Frühentbindung zu unternehmen, vorzuziehen seyn?" Tamen unusquisque videbit, quanti haec sint. Jam e verbis ipsius elucet illi nullo modo discrimen inter partum a pr, et partum violentum (Accouchement forcé) cognitum fuisse; ac porro nescio, num uteri oris extensio lenta, sensimsensimque instituta, an violenta cum dilatatorio forsan Fr. B. Osianderi magis inimica sit utero. —

pissime infantes edi mortuos, si aquae verae diu ante profluxerint, quam partus ipse edatur. Tamen et illorum consilium non aspernandum, imo alia ratione magis adhuc probandum, qui lentius ut aquae profluant, curant. Dicunt enim: aquis una vice effusis, contractione uteri simul oriente ac forti infantem premi, circulationem sanguinis in eo interturbari, imo ex toto impediri, ita ut inde mors prolis evadat. Qua de re Haighton in praelectionibus suadet, ut instrumentum in uterum ingeratur, ac paululum superius perforentur velamenta, quod etiam commendatur in: The London Practice of Midwifery. Etiam his evitare opinabantur, ne situs capitis normalis in pejus mutetur vi quadam in instrumento adhibendo allata. Etiam C. Wenzel et d'Outrepont hoc probant consilium, qua de causa prior tubulum, tunicis in ore uteri perforatis, removet. His vero utitur (l. c. p. 210) verbis: Je langsamer die Wässer verfließen, und je weniger schnell das Kind in die gewechselten Verhältnisse zu den Wänden des Uterus geräth, in die es nothwendig kommen muſs, wenn die Eywässer verflossen sind, desto vortheilhafter für sein Leben wird der Erfolg der Operation seyn" — et haec probare studet experientia sua tam in partubus arte provocatis, quam omnium in partubus praematuris non arte, sed aliis causis incitatis, cum aquae profluerent diu ante quam portio vaginalis esset deleta, et uteri os apertum: quibus conditionibus saepissime infantes vivi, post plures etiam dies, sola naturae ope et felicissime edebantur.

Memoratu (non imitatu) dignum mihi videtur propositum quod Hobkins 213) tulit. Vult enim catheterem per uteri os pollices octo inter illius parietem interiorem et velamenta immitti, ac ibi velamenta dirumpi. Nil iis adjiciendum mihi videtur, quae jam Reisinger 214) haec referens attulit.

§. 33.

Restat adhuc, ut describam quae de decursu partus arte praematuri inde a perforatione tunicarum ovi sint relata. Paulo post Anglorum quidam opii dosin porrexerunt 215), praesertim ad inhibendum frigus infantis vitae plurimum perniciosissimum. Ceterum vix quidquam erit adhibendum, nisi status quidam morbosus partus turbet decursum, quem debellare studeat medicus. Samuel Merriman 216) primus medicorum

213) Accoucheurs Vade mecum. p. 114.

214) l. c. §. 65.

215) „es mag dies Mittel hier zweckmäſsig erscheinen, um Nervenreizung und krampfhafte Zusammenziehungen, besonders bei dem gewiſs immer ergriffenen Gemüthszustande der Operirten zu verhüten; nur müſste man zugleich der verstopfenden Wirkung des Opiums entgegenwirken." Reisinger l. c. p. 98. §. 71.

216) Medico-chirurgical Transactions. London. V. 3. 1812. p. 123.

animum ad febrem convertit, paulo post aquarum effluxum obvenientem frigore, deliriis comitatam, per horas octo ad decem, imo ad partum usque et ad puerperium perdurantem. Denman 217) idem observavit; d'Outrepont narrat foeminam in qua ipse partum arte praematurum instituerit, validissimo frigore correptam fuisse; ter idem ab Ill. de Siebold observatum. Merriman ad conditiones quibus suscepta est operatio et ad constitutionem methodum mox antiphlogisticam, vel opii, aut remediorum antispasticorum et tonicorum usum commendat 218); uno casu hydrargyrum muriaticum mite et catharticum quoddam, quo sedes perputidae, nigrescentes efficiebantur, feliciter periculum amoverunt. Nos infuso florum chamomillae tepido et opio usi sumus, quibus quidem primos insultus, nec vero graviorem horrorem debellare nobis contigit.

Dolores ad partum deinde obveniunt quibusdam horis praeterlapsis, vel etiam quarto aut quinto demum die; Denman adeo refert, diebus duodecim vel et quindecim post aquarum effluxum praterlapsis, primos ad partum dolores apparuisse. Solito tamen, uti Haighton in praelectionibus monuit (quod etiam experientia affirmavit) die uno vel duobus etiam post paracentesin occurrunt.

Medicus obstetricans cetera omnia ita, ut in partn alio natura incitato agat, necesse est. Artis auxilium vel a medicaminibus vel instrumentis sumtum, ut semper et hîc inutile et perniciosum, nisi adjumentum indicationes purae et probae postulent. Qualia haec esse debeant, vix enarrari potest, cum unusquisque casus proprium quiddam habeat, ac inde pendeant quae in usum sint vocanda. Ita in situ transverso,,foetus ore uteri extenso versio in caput, vel in pedes erit instituenda, et forsitan hîc prospere adhibebitur versio encheiresibus externis quam beatus Wigand proposuit. Occurrentibus obstaculis in exitu pelvis, vel minante periculo quodam, sub iisdem conditionibus, ac in alio partu, forceps erit adhibenda.

J. Marshall 219) observasse se narrat, in omni partu arte praematuro, permagnam copiam muci liquidi a glandulis cervicis uteri secretam fuisse, quo natura aquas jam effusas compensare videbatur; et quamvis muci quantitas non aucta esset, tamen turgorem normalem et justum me animadverti potuisse confitendum.

Metrorrhagia nunquam post partum obvenit, quae ceterum in abortu et partu praematuro non raro, fere semper observatur. Periodus ita etiam quinta, omnibus illis in casibus, qui publici facti sunt juris, nunquam a normali recessit. Sanguinis ex

---

217) Introduction to the Practice of Midwifery. p. 179.
218) A Synopsis of the various Kinds of difficult parturition etc. p. 194.
219) The med. and phys. Journ. Vol. XXXII. p. 101.

utero profluvium, quod horis pluribus jam praeterlapsis post partum in foemina illa hydropica evenit, magis a statu illius morboso pendere et paralyticum esse visum est.

Puerperae et neonati cura nulla alia esse debet, ac solita, et praemature editus cui major imbecillitas, ut diligenter foveatur, quivis prudens medicus profecto parabit.

§. 34.

His jam prolatis liceat afferre, quae mihi ex illis patere videantur. Ne tamen credas, L. B. me haec proponere velle tamquam axiomata vel praecepta! afferam quae ipse hac de re cogitavi quaeque vera esse puto, non autem ut doceam, sed ut docear. Partum arte praeamturum majori me amplexum esse amore, negare nec possum, nec volo; semper mihi ille agendi ratio quaedam mitior esse videbatur prae ceteris in arte obstetricia consuetis operationibus, et cum non sine horrore et perturbatione artis obstetriciae historiam perlegissem cumque ad illud tempus pervenissem, quo Deisch et Mittelhäuser, foeminarum et infantum carnifices, utramque vitam detestantes, matrem cum foetu dilacerarunt; cum porro legissem in Anglia et recentiori tempore disceptasse inter se medicos, quaenam vita, num matris an infantis majoris sit pretii — maxima cum voluptate vidi esse parta nostrae aetatis mansuetudine et pietate qua parturientibus sucurreretur. Osiander hac de causa fortassis non reprehendendus, quod nostra ex arte et scientia perforationem omnem et embryulciam rejicere et amovere vellet; Sacombe, qui omne artis adjumentum ope instrumentorum repudiabat, modum quidem excessit, finis vero certe probus erat et bonus. Sic et partus arte praematurus est diligenter perpendendus. Excelllit, cum eo utraque vita servari possit; excellit quia hoc, ut totius nostrae artis, illius est propositum. Matri inde nullum minari damnum, supra jam est memoratum; non desunt exempla infantum vivorum, ne septimestrium quidem, qui adoleverint. Artis nihil negotii in eodem est, nisi incitasse naturam, ac quo minus illa fines transierit, eo felicior certe erit exitus.

Felicius partum tunicarum perforatione concitatum evenire abortu ab alia causa commoto, experientia docuit, et si causas investigemus, non erit difficile intellectu. Aut enim vis externa quaedam major, praesertim abdomini illata, aut causae internae abortum vel partum praematurum promovent. Violentia externa praesertim eo fit abortus causa, quod inde ovi cum utero contextus solvitur; metrorrhagia vero oritur, expellitur ovulum uteri contractionibus violentis vel statim, vel emoritur foetus in gremio materno et serius ejicitur, non sine matris periculo. Sed et abortio a statu quodam matris morboso pendens, multo periculosior, ob morbum illius ipsum. Ita abortus a morbo est incitatus, et status uteri morbosi, quos saepissime abortu praegresso vel et pluribus praesertim vidimus, non a partu praematuro ortum ducunt, sed

abortu accedente morbus jam aderat, qui de novo concitatus, nunc celerius incedit. Haec si velis pensitare, facile erit intellectu, cur in partu arte praematuro non occurrant illi casus dubii, ancipites, periculosi, qui, ne in abortione accidant, semper est timendum. Nulla est illata utero vis, nullus morbosus adest uteri status; desunt metrorrhagiae, deest febris, deest systematis nervosi irritatio, gravidae debilitas et virium prostratio. Sic maxima adesse debet spes successus optati.

Non ergo est cur non adhibeatur; infans sine matris periculo nasci cum possit, matri cum nullum inde minetur damnum.

§. 35.

Difficilius vero, de eo judicare, quo in statu sit adhibendus partus praematurus. Supra jam, cum afferrem, quae indicia ad eum promovendum esse viri docti velint, enumeravi: infantem in utero mortuum; mortem foetus praematuram semper sub finem graviditatis evenientem (habituelles Absterben); partus retardationem; pelvim coarctatam; metrorragiam et matris morbos. Prioribus vix aliquid erit adjiciendum, his vero conditionibus eum adhibendum esse me credere, jam attuli; perlustrandum tamen erit, ad quem pelvis angustiae gradum, quam ad metrorrhagiam et quos ad matris morbos sit adhibendus.

Nunquam eo gastrohysterotomiam ex arte obstetricia removeri posse, jam patet. Pelvis talis coarctatio, quae illam requirit operationem, nostrae est contraindicatio, et cum Stein jun. illis quae de partu arte praematuro scribere vellet, inscripsisset: Frühgeburt für Kaisergeburt, his jam se quid in eo sit nescire, atque de omni re non satis se cogitasse nec judicasse declaravit; ego autem quamquam persuasum habeo, supplere eo posse perforationem, synchondrotomiam, immerito forsan spretam, et illam methodum, qua medicaminibus infantis incrementum inhibere studemus, tamen nullo modo credo, nunc jam esse reprehendendum, qui haec auxilia adhibuerit. Plurimo in constituendo pelvis coarctatae gradu difficultas, inde pendere mihi videtur, quod a priori nunquam discernere possumus, quae infantis maturi futura sit magnitudo, quae capitis ossificatio. Respiciendum igitur erit ad matris et valetudinem et vitae consuetudinem, nec erit animi affectuum, in explicando foetu maximi certe momenti, negligenda ratio, porro viri structura corporis, quocum concubuit gravida spectandum erit de qua saepius pendet infantis magnitudo, et si jam peperit, quae priorum infantum fuerit magnitudo et conformatio, erit perscrutandum.

Quo ad pelvim, non solum singulae ejus diametri diligenter et accurate erunt metiendae sed etiam qua in apertura praesertim, qua in directione sit coarctata, nec

non, quae ejus sit inclinatio, ac unde pendeat angustia. Non praetermittenda erit ratio matris valetudinis vel secundae vel adversae.

Admittendus vero usus partus arte praematuri videtur in pelvi, cujus conjugata non minor est digitis duobus tum dimidio, nec major digitis tribus cum quadrante vel cum dimidio imo.

Conjugata duos modo pollices cum dimidio aequante, infantis vivi partus et septimestris nunquam fere est sperandus, qua de causa in tali pelvis angustia semper sectio s. d. caesarea adhibenda est, qua saltem infantis vita minus in periculum vocatur; cum vero tres cum dimidio pollices pelvis conjugata aequet, in forcipis usu spes est traducendi infantem vivum posità. Nisi quis experientia doctus sit, foeminam quandam semper infantes eximiae magnitudinis genuisse, in pelvi digitorum trium cum dimidio partus ille ei non erit instituendus.

An unquam in illa pelvis coarctatione, cujus causa in osteomalacia est posita, adhiberi debeat, decernere nolim, cum, quod probant exempla, hoc in statu morboso pelvis infantes maturi jam versioue traducti sint viventes.

Quo ad tumores pelvis spatium coarctantes, tantummodo statuenda est operatio, cum nulla diametros propter illas minor pollicibus duobus et dimidio erit; accurate vero etiam tumorum indaganda natura, cum pluries talis sint conditionis, ut operatione chirurgica removeri possint, partus vero naturalis absolvi. Quae cum ita se habeant, nonnisi partu jam instante et laboribus jam inceptis suscipienda erit operatio, ne illa ipsa partus maturetur.

Dolendum vero raro prius medicum obstetricium ad auxilium vocari, quam partu jam incepto, et ad haec si respicias non cum Osiandero, Ill. de Siebold vituberabis et Wigand, quorum posterior suadet perforationem et ante infantis mortem instituendam; prior vero interrogavit, nonne excusandus sit obstetricans cum perforet infantis viventis caput ad matrem saltem servandam? 220) Probardum hoc nullo modo mihi videtur; cum enim infans vivus per pelvim traduci nequeat nihil aliud restat nisi gastrohysterotomia, ac si etiam magnum in ea est matris periculum utique tamen praeferenda enecationi infantis est. In tali pelvis angustia perforatio tantummodo infante mortuo jam, ceterum sectio s. d. caesarea, vel si quis mallet, synchondrotomia esset instituenda, quae utraque utriusque praebet vitae servandae spem. Prius vero in consilium vocatus medicus, cur dubitet de instituendo partu praematuro, quem nec morum praecepta nec leges vetare possunt, quum amborum salus ejus sit

---

220) Wigand, die Geburt des Menschen. Berlin, 1820. II. Bd. p. 56. u. 58. — von Siebold, Lehrbuch etc. 3te Aufl. II. Bd. p. 368. §. 518.

finis. In pelvi rhachitide vel alio morbo (excepta osteosarcosi) ceterum non amovendo, coarctata adhiberi poterit, si conjugata non major sit pollicibus tribus cum dimidio, nec minor digitis duobus cum dimidio.

Quo ad profluvium sanguinis ex utero, tamquam indicationem partus arte praematuri, maxima prudentia et circumspectio medico opus est, ut dijudicare possit, partusne statim sit absolvendus an partus praematurus evitari et metrorrhagia aliis sisti possit remediis. Nisi gravissima et ingens haemorrhagia adest in qua omnis cunctatio et mora matri periculosissimae (quod plerumque ejusmodi haemorrhagiae generibus accidit a placenta praevia ultimis graviditatis mensibus ortum ducentibns) semper prius cetera remedia sunt in usum vocanda, ut e. gr. venaesectio in brachio, acida, praesertim acidum phosphoricum, cinnamomum, lintea vel spongiae aceto humectata in vaginam data, fomenta frigida ad abdomen etc. etc. Tum animadvertendum, ne oriatur haemorrhagia interna, an et firmiter et constanter eam sistere successerit; nec minus an natura ipsa partum promoveat, et an hujus incitamentum et metrorrhagiae causam amovere possit. Si vero nullo remedio sisti potest haemorrhagia, periculum imminet magis magisque, cum sola spes in partu ipso posita sit, quo finito uteri contractiones jam haemorrhagiae medentur. Ceterum placenta non praevia, non video cur ovi tunicae non sint dirumpendae, quod Puzos et multi alii jam suaserunt. Matri et infanti sane multo minus hoc periculosum, cum versio infanti et matri inimica raro tantum tunc adhibenda sit, oris uteri vero dilatatio violenta non requiratur. Partus postea naturae est committendus, et medici nihil erit nisi observare quae eveniant, atque vigilare, ne forte symptomata oriantur graviora. — Certe haec evacuatio uteri lentior jam salubris, cum in extractione infantis repentina saepius post partum adhuc metrorrhagia ad mortis periculum matrem adducat, placentae vero dissolutio artificialis uterum irritans et vulnerans non solum inflammationi malignae, sed saepissime postero etiam tempore aliis morbis, imo indurationibus et ulceribus ansam praebeat.

§. 36.

Gravidae morbos ovi paracentesin et jubere, et vetare proposuerunt. Quae habēmus experimenta de partu morborum causa, qui gravidas affligerent, praemature ciendo, haec sunt: semel mater et infans sunt servatae; tres obierunt matres, quarum unius infans servatus est, ceterarum incerta sors, saltem nobis ignota. Infelix exitus plurimorum animos hac de re avertit, sic ut Plinii effatum: „omnino iniquum, sed usu receptum, quod honesta consilia, prout male vel prospere cadunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur" — commode huc referri possit.

Non dubito quin occurrunt casus, in quibus hoc uno in remedio salus et matris et infantis sit posita: infantis cum experientia docuerit, utplurimum illum emori cum matre, ac raro tantum servari sectione caesarea post matris mortem; matris, cum causa non cessante, et effectus non possint cessare, neque alia ratione nisi cura intensiori, quam adhiberi vetat graviditas, uti possimus; ita ut nil nisi prognosis pessima adsit, finis vero graviditatis etiam mors.

Admittendum igitur partum arte praematurum censeo:

a) illis in morbis, quibus matrem ante finem gestationis legitimum certo perituram esse videmus, quorum vero partu infelix exitus non acceleratur;

b) in illis aegritudinibus gravioribus, quarum causa solummodo in uteri extensione majori posita est, vel alia de causa subortis, quae pressu uteri augentur et aluntur;

c) in passionibus, curam requirentibus infanti damniferam, graviditate vetitam.

Primo ordini adnumerandae erunt hydropicae affectiones universales, praesertim vero hydrothorax, cum extremo in stadio jam organismi labes et febris hectica accedunt. Videmus uteri evacuatione minui symptomata, antea ita urgentia ut quavis hora timenda esset mors. Et licet paene nulla spes adesset servandae matris, tamen nullo modo morbus inde augetur, sed minuitur potius, infans vero tutius partu praematuro, quam post matris mortem gastrohysterotomia servabitur. Nonne vero etiam matri inde parari poterit salus? nonne pressu ex utero extenso ad diaphragma sublato melius feret aegrota morbum, ac nonne spes quaedam sanationis huic inerit artificio, uti quidam hoc in casu partum praematurum nominaverunt, praesertim in hydrope torpido, cum febris forsan eo incitetur? haec faciliora interrogatu, quam responsis illustratu. An in spasmis tonicis e. g. trismo vel tetano aliquantum profectura sit aquarum evacuatio, dubitandum hac ex causa, quia semper timendum ne mors partum praeveniat.

Phthisin plurimum in graviditate quiescere, partu vero edito de novo aggredi puerperam et mox exstinguere, notum quidem; tamen etiam non desunt exempla, quibus phthisicae in graviditate mortuae sunt morbo in dies aucto; infans vero saepe mortuus ex abdomine et utero incisis protractus, vel post mortem exstinctus est editus. 221). Difficillime sane tali in casu discernere licet, an admitti queat partus arte praematurus, cum matrem post partum mox emorituram esse, persuasum nobis habere possimus. Cogitari quidem conditiones posse, quae faveant huic proposito, bene intelli-

221 Hufeland's Journal etc. 1821. April. p. 97. Reufs, Repertorium. p. 33. 45., inde probatur non ex omni parte consentiendum esse C. Wenzel· vid. l. c. p. 176.

go, facilius tamen de re in casu praesenti certe judicandum erit, quam a theoria demonstrandum.

Morbos vero ab uteri majori extensione pendentes, hos censendos esse puto: Tusim quandam, convulsivae non dissimilem, nulli cedentem remedio nisi graviditate partu finita; emesin; cardialgiam; asthma quoddam convulsivum, cuius in gibbosa exemplum tristissimum mihi est notum; melaenam; affectiones hydropicas, quae vero vix sunt timendae, nisi et pectus infestent; convulsiones. Quibus ex aegritudinibus, uti e tussi, emesi, melaena, hydrope pectoris, asthma si matris mors timenda, uti ex insultu epileptico infantis etiam, non dubito quin partus arte praematurus excitatus non solum defendi possit, sed etiam sit indicatus.

Ingravescunt vero uteri extensi pressu, uti mihi saltem videtur etiam inflammationes organorum abdominis, affectiones systematis venae portarum et illa etiam causa aneurysmatum augetur periculum. Perbene mihi notum Hippocratis dictum, tamen et illud Celsi: morbis ancipitibus remediis ancipitibus mederi melius esse, quam adhibere nulla — et hac de causa in gastritide, iu diaphragmatis inflammatione, lienis (si ad melaenam usque pervenerit) et hepatis forsan admittendum puto partum arte praematurum. Idem mihi videtur de statu quodam a graviditate pendente systematis venae portarum, cum auctis ubivis varicet appareant, hepatis dolores et illi semper non solum in partu ruptura, sed etiam hepatis morbus organicus sit timendus, qualem saepissime uteri passiones comitare videmus. Aneurysmatis vero cujusdam causa, cujus ruptura metuenda vel a nisu uteri immediato, vel mediato, partus praematurus duplici ratione defendi posse videtur, cum enim eo amoveatur pressus, et partum sic facilius absolutum fore sperandum, et ita partu edito matris vita diutius perdurare poterit.

Illis vero morbis quos sub lit. c., indicavi, adnumerandos censeo syphilidis, herpetis et impetiginum in genere formas graviores; partum enim per paracentesin ovi elicitum minoris credo periculi; quam medicaminum vi coactum.

Haec omnia brevibus ideo posui verbis, ut quibus sub conditionibus partus arte praematurus institui posset indicarem. Nec tamen sic scripsi, ut nulla huic operationi contraria esse vellem; multa enim illis, quae edixi, obesse perbene mihi notum; in omni pectoris morbo qui congestionibus augeatur, vetitam esse partus incitationem ob consensum inter pectus et uterum, me scire, credere velis, at si quid rectius istis noveris, L. B. non acerbe vituperare velis tironem qui meliora docenti libenter est obtemperaturus.

§. 37.

Tempus quo partus arte praematurus debeat institui, a septimana impraegnationis XXXII ad XXXVIII usque constituerunt. Admittendus enim nisi octo mensibus

lunaribus jam praeteritis, non erit, cum ceterum spes infantis vivi facillime fallere possit, ejus vero salus primum sit, ad quod respici debeat. Hac de causa etiam abortum artificialem, quam in pelvis angustia absolute gastrohysterotomiam requirente, Anglorum quidam, illius pericula valde, nimis fere timentes, proposuerunt, quem Mende probat, rejiciendum esse puto. Melius successurus fore partus videtur, si eos elegeris dies, quibus, nisi graviditas adesset, menses apparituri essent, nam et in gestatione congestionem quandam sanguinis activam ad uterum tunc adesse, negari nequit, cum docuerit experientia abortus, quorum causa indicari non possit, spontaneos quasi, eo occurrere tempore, cujus rei et Ill. de Siebold 222) et Cel. d'Outrepont 223) exempla memoratu dignissima protulerunt, imo partus naturalis tempus inde pendere verisimillimum. Quaenam deinde hebdomas sit eligenda res ipsa dabit, et respiciendum erit quovis casu vel ad pelvis angustiam, vel ad alias conditiones, quae indicio sunt partui arte praematuro; et hoc respectu recte certissime J. Hull haec habet: „The chance of rearing a premature child is not great, but this caeteris paribus must necessarily be greater, the nearer the foetus is to maturity;" — 224) quo serius instituitur, eo magis infantis viventis crescit spes.

§. 39.

Quomodo optime instituatur partus arte praematurus, nunc brevibus sum perscrutaturus. Non vana mihi videtur quaedam praeparatio, cura quasi prophylactica, his praecipue in foeminis, in quibus partum pelvis coarctatae causa incitamus. John Barlow primus ante ovi paracentesin mixturam porrigere solebat, quae, ut gravidae crediderunt, partum promotura esset; alii hunc medicum secuti sunt. Non inane videtur medicamentum quoddam leve simul dare; quaque rudis muliercularum animus ab operatione ipsa facilius avertatur, ne timor vel superstitio eas vexet; abusus vero, quod Reisinger monet, ideo debellabitur, quia maximam in re ipsa efficaciam a remedio interno oriri putabunt. — Sed etiam ad partum instituendum ipsum, cura praeparans non aspernenda mihi videtur. Huic adnumerare velim: balnea tepida, injectiones in vaginam decocti forsan specierum emollientium, seminum lini, vel tale quid mucilaginosum cum oleis unguinosis; frictiones abdominis vel sola manu, vel etiam cum unguento quodam, vel oleo, addito aliquantulo opii puri vel Tincturae opii; an vero etiam portionis vaginalis inunctiones, quales alia ratione Osiander commendavit et laudavit, sint adhibendae? dubito.

---

222) Handbuch der Frauenzimmerkrankheiten. 2te Aufl. Frankfurt a. M., 1823. II. Bd.
223) d'Outrepont, Beiträge etc.
224) Observations on Mr. Simmons Detection etc. p. 451.

Usus spongiae pressae, certe non vituperandus, imo quam maxime commendandus, cum experientia docuerit: ex eo matri nullum evadere damnum, os vere uteri inde minimum ita dilatari, ut facilius et sine incommodo introduci possit instrumentum, quo velamenta dirumpere volumus. Felicius adhuc ejus successit usus Cel. Kluge, qui ea sola adhibita semper dolores ad partum oriri vidit, et partum ipsum horis modo quibusdam praeterlapsis natura sola edi. Bis ab Ill. de Siebold adhibita spongia pressa ad oris uteri dilatationem; contractiones uteri quidem accedere videbantur, tamen mox rursus quieverunt, et partus non nisi tunicarum punctione absolutus est.

Ad punctionem vero situs gravidae optimus ille mihi videtur in pulvinari parturientium ab Ill. de Siebold invento; primum enim optime hoc situ auxilium omne parturienti afferri, punctio effici, versio post vel forceps situ immutato adhiberi potest; secundo, aquae effusae colligi possunt sine molestiis; tertio, omni modo, quem forsan infantis situs requirat, gravida ei incubans collocari potest. Paracentesin ovi vero adhibendam censeo, ore uteri dilatato, nam, etsi videmus spongia pressa sola partum elici posse, quod exempla probant a Cel. Kluge benevole mecum communicata, tamen quaedam huic methodo, cujus commoda et fructus perbene intelligo, vis inesse, haec vero, non methodus, ex omni parte respuenda mihi videtur.

Aquis emissis etiam injectiones relaxantes et abdominis frictiones non erunt negligendae (posteriores vero cautissime manu exercitata erunt adhibendae, ne fortassis iis infantis situs in peius mutetur), quo uteri cervicis resistentia et sphincteris minuatur, turgor vaginae augeatur ac illa madefiat.

Infantis positio transversa vel obliqua, certe machinatione externa ad Wigandii propositum in meliorem erit convertenda; interne vero, si fieri potest, in caput versio in pedes versioni praferenda. Nec haesitandum erit auxilium forcipe ferre, cum natura ipsa impedimenta et obstacula vincere non possit, ac inde infantis vita vel matris salus in discrimen vocetur.

Partu absoluto, omnia quae in partu naturali valent praecepta, nisi forte puerperae status quidam morbosus medicamenta vel aliam victus rationem requirat.

In gravida vero gibbosa simul cum pelvi coarctata, plethorica ceterum et valida, venaesectionem praemittere non dubitarem, et plures forsan jam in graviditate etsi necessitas non urgeret strenua. Non solum pectoris deformatio, sed etiam partus praedispositionem constituunt ad pectoris organorum morbos, cum illa sanguinis circuitus impediatur, hoc vero pectus versus congestiones oriantur, necesse sit. Qua de causa etiam opii usus, remedii congestionibus ad organa supra diaphragma posita, faventis, in his non ex omni parte erit probandus; nisi adhibeatur algore jam incipiente, cui hoc remedio resisti posse ex analogia concludere et sperare possumus.

Tunicarum diruptio optime institui videtur instrumento quod C. Wenzel invenit, Ill. de Siebold vero melius reddidit. Hoc enim omnis vel uteri, vel vaginae laesio nec non infantis evitari potest, et ne aquae una vice effluant, id angusto evitatur foramine; tubulo vero aliquantulum relicto certiores facti sumus de successu operationis; praeterea est simplicissimum. Quaenam ceterarum methodorum huic praeferenda, decidere nec volo, nec possum, cum de illis experientia caream; tamen si quae ex omnibus est eligenda, illi potissimum annuendum credo, quam Cel. Kluge adhibuit, qua etiam quo ad infantem et puerperium semper felicissime usus est.

Supervacaneum non videtur monere aquarum ex utero effluxum pluries jam esse observatum partu non insequente; neque tamen in partu arte praematuro solum, sed multo prius jam animadverterunt plures, sine ulla causa prorumpere aquos. Recentiori tempore Geil 225) hos collegit casus, quorum jam Mauriceau perplures annotat, ut etiam Burns, Pentland 226) et James Leighton 227) quorum postremus vidit idem phaenomenon in persona, in qua velamentorum diruptione partum instituere volebat. Tamen haec non praebent indicium contra operationem nostram cum certe credendum sit plurimis in casibus non veras, sed spurias defluxisse aquas, uti Reisinger jam monuit. Non solum vero chorion inter et amnios nonnunquam aqua est collecta, sed etiam hydatides non raro observantur in utero impraegnato 228) quarum ruptura aquae effluxus efficitur. An tale quid evenerit, mox observatio accurata docebit, ac si constitutum fuerit, ita rem se habere, nihil est, quo, ut iterumperforentur tunicae, impediatur; eadem agendi ratio erit adhibenda, si foramen angustum in latere ovi vel parte praevia val alia causa, ut e. gr. muco, occludatur.

§. 39.

Id vero nullo modo tacendum mihi videtur, frequenter observatos esse casus in quibus infans haud capite praevio nasceretur. Jam Reisinger rationem mutuam horum casuum 2: 9 esse demonstravit; praeterea in duodeviginti casibus novissime cognitis tres situs clunibus praeviis erant, sic ut horum ad omnes ratio mutua 1: 6 esset; de ceteris autem vitiose collocatis infantibus duo solum vivi editi sunt atque servati.

---

225) De hydrorrhoea Diss. Heidelbergae, 1822.
226) Dublin med. and phys Essays · Not. I. art. 3.
227) The London med. Review etc. Vol. IV. 1800, cf. etiam: von Siebold, Lehrbuch etc.
228) Dreifsig, Handbuch der Pathol. der chr. Kr. 2ter Th. p. 489. — von Siebold, Handbuch der Frauenzimmerkr.

Neque vero versioni infantis praecipiti, quam culbute francogallice denominant jam diu neglectae et sepositae assentiri in animo mihi est, quamvis jam ac Hippocrate (Incipit autem puer laborare ante partum et interitus periculum subit, cum in utero vertitur. De part. octimestri) tradita sit. 229). Roederer 230) versionem quidem infantis subitam repredendit, attamen hunc paullatim propter gravitatem capitis specificam succrescentem fieri putat. Recentiore vero tempore caput jam ab initio ad ima conversum orique uteri obversum esse magis verisimile putatur.

Sacombe 231) novam de ejus rei hypothesin proposuit, opinans infantem in pelvi magna et quidem in dorso capite uni, clunibus vero alteri ossium ilium concavitate obversum jacere, tumque demum quando uterus contrahi ultimis graviditatis mensibus coepisset, caput in pelvis aditum intrare; quam vero hypothesin rationibus non ab omni parte respuendis defendebat. Boër quoque partem intrantem aliquantisper oblique positum esse declaravit. d'Outrepont 232) eum locum hac adnotatione prosecutus est, omnium temporum experientiam confirmare in partubus praematuris situs vitiosos creberrime deprehendi: cui rei autem certe causa inesse videtur, cur sicuti Osiander 233) monet, rectam (principiis suis accommodatam) effigiem situs, quem foetus in utero occupat, nondum habeamus. Baudelocque et Meckel 234) tamen situm capitis obliquum amplexi sunt. Carus vero 235) „die Richtung, inquit, des Embryo ist aber bei regelmäſsiger Anheftung des Eyes; fast immer mit dem Kopfe abwärts, welches keinesweges (da es anch bei den horizontalgestellten Säugethieren vorkommt) der Schwere allein zuzuschreiben ist, sondern welches aus demselben Grunde erfolgt, als das Aufsteigen des Pflanzenstengels von dem Boden. — Indem nämlich der mütterliche Körper eben so zum Embryo sich verhält, wie die Pflanze zur Erde, so muſs auch der Embryo in dem Uterus, mit der aus der Beckengegend hervortretenden Nabelschnur, wurzeln, und den Kopf (die Blüthe seiner Organisation) von diesem Boden aufwärts erheben, wobei allerdings seine Richtung in entgegengesetzter Richtung mit der Gravitationslinie des mütterlichen Körpers stehen wird.“ — et alio loco 236.): „der Kopf selbst senkt sich jetzt (im siebenten Monats) besimmter

229) Mauriceau, Liv. II. ch. V. — Stein, theoretische Anleitung zur Geburtshülfe. §. 587. Abbild. Tab. III. fig. 9. — Der schwangern Frawen Rosegarten. 2s Kapitel.

230) Anfangsgr. der Geburtsh. mit Anmerk. und Zus. von Stark, übers. von Henkenius. Jena, 1793. §. 84.

231) Der Arzt als Geburtshelfer. Mit Anmerkungen von Dr. Chr. Kramp. Mannheim, 1796. p. 70.

232) Von der Selbstwendung und der Wendung anf den Kopf. Ein Program. Würzburg, 1817. p. 44.

233) Handbuch etc. I. 2. §. 600. p. 633. Anm.

234) Anleitung etc. p. 279. u. Anm.

233) Gynäkologie. II. Bd. p. 33. §. 693.

236) l. c. §. 711. p. 43.

gegen das kleine Becken herab, und wird dem untersuchenden Finger fühlbar, obwohl man dies Herabsinken nicht im Sinne der ältern Geburtshelfer nehmen darf, welche glaubten, daſs das Kind bis in die letzte Zeit der Schwangerschaft aufrecht im Uterus sitze, und nun erst plötzlich sich umkehre oder stürze, von welchem Stürzen (Culbute) man so manche Beschwerden der Schwangern abzuleiten wnſste.

Quatenus cuncta haec in partu arte praematuro considerando perpendenda sint, haud difficile erit intellectu. Quanto periculosiores infanti situs sint transversi et obliqui patet, et si tales situs tam frequenter imminerent, quam multi opinantur, praesertim si funiculi umbilicalis (secundum Osiandri opinionem) prolapsus, in hoc casu crebro accideret: ea haud dubie, inprimis in pelvi minoris amplitudinis, ubi operatio jam hebdomade trigesima secunda instituenda esset, sane magna contraindicatio futura esset. Attamen hoc nequaquam negligendum erit, situm vitiosum, quamvis frequenter obvenire immaturorum aut praematurorum foetuum obliquos situs vel transversos negari nequeat, ipsum partus praematuri causam esse posse, nec minus tum quando caput aut clunes prope pelvis aditum jaceant in alterutra ossium ilium planitie, propter effluxum aquae magis lentum plus spei adesse, unam illarum partium demissum iri atque intraturam, in pelvis aperturam superiorem: ita ut Reisingeri quaestionem affirmare non audeam: an illa praedisponens infantis situm sensim sensimque mutans efficacia uteri (travail insensible) in partu arte pramaturo aquarum effluxu quandoque impediatur, ne parienti actum ita adjuvet, ut in aditum pelvis infantis caput deprimat sicuti etiam an tali modo, situum vitiosorum magnus ille numerus explicetur. Equidem deformationem pelvis, cujus influxus in uterum negari non potest, sic ut jam in ejusdem structura hac re mutata situum obliquorum quaedam ratio reperiri possit, neque minus vitiosam pelvim ipsam in causa esse puto, cur tam saepe infantis situs vitiosi exstent: ad quod accedit secundum Joergii objectionem profecto bene fundatam, minorem segmenti uteri inferioris evolutionem, nec non minorem cervicis uteri laxationem orisque uteri resistentiam nequaquam ad prosperum foetus situm praebendum esse apta. Qua de causa Cel. Klugii consilium spongia sola cerata sine ovi velamentorum diruptione dolores partumque ipsum incitandi haud parum probandum videtur, quo facto quamvis pessima quaeque acciderint, aquas remanentes operationem esse adjuturas, haud incongruum haberi debebit. Sane multo majori experientia opus esse debet illi qui de ea re certa eloqui velit, quam quae mihi usque adhuc tempus comparata esse potuit: quapropter artis peritioribus litem illam dirimendam lubenter relinquo, id solum mihi exoptans ne, quod libere hoc loco posui, magis arrogantiae tribuatur quam veri inveniendi studio.

§. 40.

Frigus autem febriumque accessiones post velamentorum diruptionem atque ante partus initium haud minus res gravissima consideratuque dignissima existimari debet. Plurimum quidem accessiones illae non sunt adnimadversae, tamen earum exitus infanti semper tristissimus fuit. An fortasse cura quadam prophylactica iis resisti possit, decernere nolo. Mihi quidem circuitus sanguinis post partum, eoque durante in matre etiam, mutati, congestionumque activarum versus pectus diligens observatio maxime necessaria esse videtur, nec inconcinnum esse puto in rebus iis sicuti in deciduae vel Joergii placentae uterinae separatione causam frigoris quaeri: quapropter massae sanguinis diminutione utrosque processus leviores fieri venaeque sectionem, quando aliis de rebus nulla exstet contraindicatio rejiciendam non esse existimo.

Satis vero verborum! Quanta opusculum hocce egeat lectorum benevolentia me non fugit. Quoad historiam rei tractatae, haud pauca desumta mihi e virorum doctiorum apparatu, fatendum est. Reliqua vera habui; erravi fortasse aut brevior quam debui esse, fui; id vero eo factum ne dissertationis fines nimis transgrederer; multa etiam a me reposita in illud tempus quo experientia aut scientiae quodam usu magis adjutus melius aptiusque judicare mihi licuerit. Utinam hanc qualemcunque opellam non plane aspernentur in quorum judicium benignum, quorum si fieri possit, approbatio, unum illud, quod sequerer fuit, nec minus illud erit quod per totius vitae spatium unice semper sequendum expetendumque mihi videbitur.

V i t a.

Ego Carolus Aemilius Kelsch, natus sum Grottkawiae, Silesiae superioris oppido, die IV. mensis Septembris anno MDCCXCIX, patre Theophilo Ehrenfried, rerum sacrarum antistiti, matre Guilelma Carolina, e gente Witscheliana, cujus dilectissimae nunc ex duobus jam fere annis mortem lugeo.

Prima literarum elementa patri debeo, nec non scholis privatis de Ricordeau et Noltii, quas Carlsruhae per annum frequentavi. Ab auctumno vero anni MDCCCXI gymnasium Ducale Olsnense adii, ibique per lustrum et quod excedit commoravi, a gymnasii Prorectore Fülle, cui ad supremam usque vitae diem, grato me animo obstrictum esse fatebor, paterno fere amore exceptus.

Examine rite peracto, maturitatis testimonio instructus anno MDCCCXVII die XVIII. m. Aprilis ab Ill. Bartels, almae Viadrinae t. t. Rectore Magnifico civibus academicis adscriptus sum. His vero adfui lectionibus: beati Hagen de osteologia et splanchnologia; Cel. Otto, de universa corporis humani anatomia, de osteologia, anatomia comparata, nec minus de foetus historia. Hoc etiam viro Cel. et Cel. Rosenthal moderatoribus dissecandis cadaveribus per bina semestria operam dedi. — Cel. Steffens de vita academica, de physica experimentali, anthropologia, philosophia naturali, deque doctrina lucis, caloris et coloris, disserentem audivi, beatum Heyde et Cel. Treviranum de elementis botanicis, deque diagnosi plantarum officinalium. — Cel. Fischer debeo chemiam experimentalem atque pharmaceuticam, analysin aquarum medicatarum, de reagentibus doctrinam et chemiam corporum organicorum; Cel. Thilo logicen et dialecticen; Cel. Gravenhorst zoologiam universam; Cel. Bartels physiologiam hominis, pathologiam generalem, de electricitate animali, hominum temperamentis deque generatione doctrinas; Cl. Klose, pathologiam specialem. — Cel. Benedict chirurgiam tam generalem, quam specialem, ophthalmiatricen et febrium therapiam me docuit, et in chirurgia practica dux mihi fuit. — Cel. Wendt materiam medicam, toxicolo-

giam, thermarum et fontium Germaniae cognitionem, methodum formulas medicas concinnandi, therapiam morborum acutorum mihi tradidit. — Cel. Remer, therapia tam generali quam speciali, nec minus medicina facienda me instituit vir ad cineres utque colendus.

A. MDCCCXX *Berolinum profectus ab Ill. Lichtenstein, tunc fasces academicas tenente in studiosorum numerum die XXV. Octobris receptus sum. Hic audivi Ill. Rudolphi de sensuum organis; Ill. C. W. Hufeland de morbis chronicis; Ill. Berends de mulierum et de nervorum morbis, nec minus Celsum et Hippocratis aphorismos explicantem; Ill. de Siebold de arte obstetricia tam theoretica quam practica disserentes, simulque eo duce in machina phantome artem obstetriciam exercui. Praeterea clinica Ill. Hufeland, Berends, Graefe et de Siebold frequentavi; jam vero ex biennio et quod excedit in instituto obstetricio universitatis Regiae assistentis munere fungor.*

Tentamine et examine rigoroso anno jam 1822 *rite absolutis, et Dissertatione die hodierno defensa, nihil obfuturum esse spero, quo minus summi in medicina atque chirurgia honores in me conferantur.*

Theses defendendae.

Non datur Scarlatina sine exanthemate.

Methodus hydrocelen operandi per excissionem ceteris est praeferenda.

Carcinoma uteri semper morbus est universalis.

Forcipis obstetriciae effectus triplex est.